
13. A.

DAGOBERTVS REX ARGENTINENSIS EPISCOPATVS FVNDATOR, PRÆVIVS.

Quem in A L S A T I A *rediuiuum, Notisque illustratum publico donabat*

IODOCVS COCCIVS SOCIETATIS
IESV Theologus.

In quo de VTRIVSQVE ALSATIÆ *finitimisq; rebus, ad Sacram Ciuilemq; notitiam non pauca, in loco memorantur.*



MOLSHEMII,
TYPIS IOANNIS HARTMANNI.

M. DC. XXIII.

PRÆVIVM indigitauit Dagobertum Auctor; quòd, vt pluribus in locis obseruabit Lector, compluria de Sanctis & rebus Alsaticis ipse, typis item exaranda, subiungere moliretur. Nunc, quando mors meditatis intercessit, solus in publicum exit Dagobertus. Eius interim Historiam hanc posthumam, nouerit Lector, ab ipso conscriptam, & Typographi prælo subiectam fuisse, priusquam è vita simul & scriptionis elimatione decederet.

* * *

Admodum R^{do}, PerIllustri, & Generoso Domino,

D. HERMANNO ADOLPHO

COMITI IN SALM, DOMINO IN REIFFERscheid, Bettbur, Dickalster, Hackenbrock, &c. Cathedralis Ecclesiæ Argentinensis

DECANO,

Metropolit. Colon. Canonico, Episcopatus Argentoratensis pro Serenissimo Archiduce LEOPOLDO,

GUBERNATORI GENERALI.

Domino suo Gratioso.

DAGOBERTVM Regem sago togaq; inclytum, Pium, Fortem, Felicem, omnia Magnum, quodque inprimis hoc loco memorandum est, præcipuum Diœcesis Argentoratensis Parentem, ac

beneficum ALSATIÆ Patronum à ſitu & obliuione vindicatum, cum bono Deo, Alſatiæ redonamus. Vtinam ea narrationis gloria, quam vel rerum ab illo laudabiliter geſtarum amplitudo, vel decumana in hanc patriam merita, vel denique noſtratium Eruditorum vota expoſcunt. Sed non niſi paucisſimorum in omni memoria fuit, ſicut corporis & lineamentorum Apellem vnum, Phidiam, aut Polycletum; ſic animi & præclariſſimorũ facinorum Homerum quempiam, Plinium, aut Iſocratem examuſſim Scriptorem Præconemue nanciſci. nec iniuriâ luculentam quandam felicitatis partem in Regibus eſſe cenſemus, etiam poſt funera parem laudibus Encomiaſten reperire. Quod in DAGOBERTO noſtro ſecus eueniſſe, id temporis & loci comperior.

Licebit tamen hanc noſtram tenuitatem, tum per multiplices ſuperiorum annorum calamitates, & grauiſſimas barbarorum irruptiones, tum veterum præſertim Scriptorum penuriam excuſare, quæ cum non leui doctiſſimorum monimen-

torum iactura, nec minore denuò ſcribentium difficultate, nobis plenam etiam huius hiſtoriæ lucem eripuerunt; vt vixdum ſumma quædam rerum impreſſa veſtigia ſcriptis ſparſim conſignata, quæ in ſeris poſterorum animis manſerunt, congerere; & inter hęc ipſa obſcuris, diſtortis, abſtruſiſque multis lucem, nitorem, ac ſanitatem impertiri fuerit neceſſum: cum prouentu, an vano conatu; noſtrum non eſt arbitrari. Eum interim REGEM luci ac vitæ redditum, & non tam meis laboribus, quam Tuis, AMPLISSIME COMES, auſpiciis meliorem atque illuſtriorem, Illuſtri Tuo nomine inſignitũ, & ad Te anhelantem, vnâque grati atque obnoxii animi non quale iamdiu moliebar, ſed quale hoc temporis viriũ mearum exilitas patitur, leuidenſe monimentum antiqua votorum formula Illuſtri Amplitudini Tuæ *Lubens, meritiſsimò donaui, dedicaui.* LVBENS inquam, propter memoriam multiplicis beneficentiæ, tum Vniuerſæ Societati noſtrę variis per Alſatiam domiciliis diffuſę, multifariam; tum mihi priuatim,

licet immerēti, quamdiu Maiorum meorum voluntate in Alſatia commoratus ſum, magna ſemper dignatione impertitę. MERITISSIMO, cum primis propter regias in omni prope genere virtutes, ob quas Principi Viro non legendum modo, ſed & imitandum DAGOBERTVM cenſeo: vt qui cum laudatiſſimis ſuperiorum ætatum Imperatoribus comparandus venit; quique cum Iulio Cæſ. bello indefeſſus, cum Tito Veſpaſiano ſuis amabilis, cum Antonino Pius, cum Alexandro Mammeæ æqui obſeruantiſſimus, vt IVSTI cognomētum meruerit, cum Theodoſio cæleſtibus victoriis clarus, cum Arcadio pacificus, cum Iouiniano idololatriæ apud Sclauos depulſor, cum Conſtantino Templorum Reſerator & Fundator extiterit. Huic accedunt Alſatiæ noſtræ Sidera, & columina priſcæ libertatis atque autoritatis Eccleſiaſticæ, Amandus, Arbogaſtus, Florentius; qui cum ſolidis veriſque virtutibus, quàm fumoſis Aulæ vanitatibus clareſcere, ſuamque ſibi ac cæleſti Domino conſcientiam, quàm Regis terre-

ſtris

ſtris amicitiam conſtare mallent; diuinis planè inſtitutis DAGOBERTVM, qui-cum vixêre, ad imperium formarunt, dederuntque operam, vt illud quam ſanctiſſimè fideliſſimeque tractaret. quibus autoribus factum eſt, vt Auſtraſia Alſatiaque fortunatiorem, fortaſſis etiam pientiorem Regem nunquam experta ſit; ſi vnam alteramue labem Aſſentatorum nequitiâ contractam excipias. Quid, quod DAGOBERTVM noſtrum, ſi rediuiuus ex interminæ beatitatis domicilio in Alſatiam remearet, nuſquam aliò, quam ad Ill. V^{ram} Amplit^{m}, priſcos Domus ſuæ MAIORES, Pipinos, Arnulphos, Cunibertos, in eâdem recolentem, digreſſurum ſuſpicer? vti, quæ pro Sereniſs^{o} Archiduce LEOPOLDO, eodemque Antiſtite Argentoratenſi, hanc Diœceſin ab DAGOBERTO fundatam, inter tot irritamenta hoſtium, & motuum bellicorum ſemina, prudenti moderatione, pietate in Deum, comitate in ſubditos, beneficẽtia in egenos, amore erga omnes, parique florentiſſimę gubernationis laude adminiſtrat; qua illi quondam ſub DAGO-

BERTO

BERTO claruerunt. Taceo inclytam SALMENSIS Profapiæ ſtirpẽ, in AVSTRASIA vel ante DAGOBERTI tempora ad hanc ætatem feliciſſimè propagatam. vti quæ ex purpureo regioque germine non modo ſub æuum D. MATERNI (quod veteres panchartæ meminerunt) Alſatiæ noſtræ & Arduennatium Apoſtoli ac Patroni Tutelaris; *Salomones*, *Richarios*, *Martiales*, *Simmetrios*, *Carolos*; ſed annis etiam citerioribus *Raimbaldos*, *Henricos*, *Sigaricos*, *Ioannes*, *Nicolaos* fæcundo ſatu protulit, Ducum Regumque ſanguine illuſtriſſimos, &, (quo honoris elogio non tam emortualibus ſepulcraliũ tumulorum cippis, quam immortalibus poſterorum monimentis etiamnũ poſt fata decorantur.) DOMI MILITIÆque INCOMPARABILES HEROAS. qui geminatis ramis vtramq; AVSTRIAM (prout antiquitùs nominabatur) illi hanc noſtram, & apud Arduennates; hi ab anno potiſsimũ 1521. apud Pannonios alteram, ſub DD. Friderico, Maximiliano, vtroque Ferdinando, Carolo V. Rudolpho Augg. Cæſaribus

domi

domi clari, foris admirandi Ecclesiarum, Senatuum, Exercituumque Principes, immortali sinceræ religionis, æquitatis, prudentiæ, magnanimitatis, doctrinæ, & bellicæ virtutis commendatione meritisq; ingentibus cumularunt. Sed pedem hic figo, manumque de tabula; ne modum epistolæ excedam. Quod si igitur DAGOBERTVM Illustri Tuo Nomine ornatiorem in manus admiseris, næ & ille, mea quidem opinione, haud paullò beatior rediuiuus hoc tempore fuerit, quam olim viuus. siquidem vitam ad exiguum tempus mortalem duxit, quæ illum iam pridem defecit; at Amplit. V^{ræ} iudicio probatus, vt vetus Poëta loquitur,

Canescet sæclis innumerabilibus;

& Vestra Amplitudo legens vel potius relegens DAGOBERTVM, qui iucundissimus est historiarū fructus, laudatorū decorum exempla in seipsa recognoscet. Vale Alsatię nostrę decus & ornamentum, atque æternùm viue. Ita voueo Molshemij.

Illustris V^{ræ} Amplit^{nis}
Seruus in Christo
Iodocus Coccius.

Ad Beneuolum

LECTOREM.

QV*ia mihi publici iudicii alea ſubeunda eſt, pauca præfari volui, quibus vel indiligentiæ vel malæ fidei labem amoliar.*

Inprimis animus mihi fuit, DAGOBERTVM SANCTIS ALSATIÆ TVTELARIBVS, quos Deo beneuolente auſpiciis Sereniſsimi LEOPOLDI *ſubciſiuis horis meditor, velut* δαδοῦχον *præmittere, quippe qui magnam illis lucem eſſet adlaturus. quod an ex voto ſucceſſerit, probe Doctorum iudicium eſto.*

Neque tamen hic ego ex aſſe DAGOBERTI hiſtoriam contexere præſumpſi. qui enim poſsim, nullo Duce & niſi quæ fruſtatim ex variis editorum ineditorumque Scriptorum monimentis conge-

rere

rere licuit. Quare si minus enucleatè omnia tradantur, neque Regem tam in Alsatas beneficum cernat Lector, in ea, quam optaret, luce à nobis collocari, omnem noxam ad hospotius transire patiatur, quibus nescio quo errore imbutis decretum est, multa antiqua sepulta, quæ erui poterant, potius tenebris obruere, fortaßis etiam studiosè premere, & blattis nutrimenta relinquere, quàm cum perennis memoriæ fructu foras dare. Certè multo maxima illi habenda gratia foret, qui tum huius tum aliorum Patriæ Tutelarium, vel hic natorum, vel denatorum, vel sanctimonia & prodigiis clarißimorum genuinas Vitas, vt à maioribus descriptæ sunt, vindicaret. Ac ne quid celem, omninò confido fore, vt REX *noster in antecessum datus, alios quoque Diuorum Cælitum albo adscriptos, sicubi oblitescunt, in lucem reducat, &* ALSATIÆ *historiam maiorem in modum illustret. Cæterum nec illud profiteri vereor, multa, quæ magis continuandæ narrationi, quam huic meo instituto idonea iudicabam, consultò præteriße. &*

ex iis, quæ memini, ea colligaſſe, quamquam diuerſis geſta temporibus, quæ ſimilitudo rerum coniunxit.

NOTAS ſingulis capitibus mixtim appoſui, in quibus excuſationẽ potius exigo, quam laudem. quod ſi Lector his fruſtis famem non expleat, per me licet plenam adferat ad integros autores, quorum præconia margini adſperſimus. certè accidendas putaui, ne eſſent πλέιω πάρεργα τῶν ἔργων, *vt eſt Græcis in prouerbio. Eas etiam duntaxat adſperſi, quas momentum aliquod habere ſuſpicabar. omnes enotare, cui bono?*

Habes inſtituti mei rationem. de qua ante rem mihi non abs re monendus videbare. Vale interim, & cum

DAGOBFRTO

æternum viue.

* * *

INDEX CAPITVM.

Caput VII.

Caput VIII.

Caput IX.

Caput X.


Caput XI.

Caput XII.

Caput XIII.

Caput XIV.

Caput XV.



IN INSIGNIA.

SALMENSEM *campum* LEO *cum* SALMONE *venustat:*
Ille decus RHENI; *quadrupedum iste caput.*
SALMIACÆ *ambo notant decora immortalia Gentis*
Aeternùm ILLVSTRIS *robore, amore, fide.*

DAGOBERTVS REX, ARGENTINENSIS ECCLESIÆ FVNDATOR; PRÆVIVS.

Caput Primum.

GALLIA, natale DAGOBERTI solum, suis limitibus terminata, & partibus diuisa describitur.

DAGOBERTVM Regem Gallofrancum fuisse, consentiens nostratium Chronographorum opinio est; à qua nec veteres, nec citeriores discordant. Ea re, sub prima VITÆ DAGOBERTINÆ adyta, tanquam in vestibulo positi, in limites GALLIÆ FRANCIÆque, vti quas ortu suo illustrauit, & sceptro postea moderatus est, principio inquiremus, quò deinceps inoffenso pede progrediamur. GALLIAM omnem veterem firmissimis munimentis natura cinxit. GALLIÆ limites. Ab *Orientali plaga*, Alpium iugis, & quidquid transcensis Alpibus ad mare Adriaticum terrarum interiacet; à *Septemtrione*, mari

Britannico & Germanico; à *Meridie*, Mediterraneo, & quod transgresso Apennino ad vsque Anconam in Orientem porrigitur; ad *occasum* Pyrenæis montibus, tum quidquid eos ad Cantabricum mare ac Mediterraneum circumscribit. Eandem inter florentissimos nobilissimosque Europæ principatus Græcis & Romanis celebratissimam, varij etiam antiquitùs multifariàm dispescuerunt. Principem locum obtinet IVLIVS Cæsar, qui nouennalem rerum Gallicarum historiam VII de bello Gallico libris complexus, eam, partâ immortali sui nominis gloriâ, multis, grauissimisque bellis variâ sæpe fortunâ exercitam perdomuit, tandemque exitu Romanis prospero, in prouinciam redactam, *ignauum*, vt Eutropius ait, *tributum pendere coëgit*. Is *Galliam* in AQVITANICAM, BELGICAM, & CELTICAM tribuit. PROVINCIAM latissimè cæteroqui patentem, intermittens, quod ea in Populi Romani potestate iam tum esset. AQVITANICA vel ab obliquo Ligeris amnis fluxu, qui eam quadamtenus terminat, & pæne totam circumfluit; vel, vt alij, ab scaturigine fontium & aquarum, quibus præ cætera Gallia irrigua est, nomen habet. Tolosa, Narbone, Aruerno, Cadurco, Biturigibus, Rutheno, Lemouicis, Petragorica, Pictauis; & ad Oceanum Burdegala, Santona, Engolisma, præclaris & peramplis vrbibus nobilitatur; ex quo illam Octauius Augustus, edicto orbem terrarum emensus, vt Strabo scribit, angustioribus antea terminis definitam, adiectis oppidis, quæ Garumnæ & Ligeri fluminibus interiacent, ampliauit. Hanc eandem, olim Aremoricam dictam DAGOBERTVS noster, Ariberto Fratri volens, quoad viueret, cessit. Indidem Diuum AMANDVM oriundum, domo nobilem, vnicè sibi carum, primùm Traiectensibus, deinde Argentinatibus Antisti-

GALLIAE *Diuisio tripartita.* Cæsar lib. 1. belli Gall. & lib. 5. Eutrop. lib. 6. & l. 9. Ammian. Marcel. llib 11. & 15. Procop. lib. 15. Orof. lib. vlt. Rob. Cæn. lib. 2. de re Gall. Franc. Hotoman. in Francogall Pont. Heut. lib. 1. de Belg. c. 1. Ioan Mari° libb. rerum Gallic. passim. Aimoin. de gestis Frãc. in præfat.

I. AQVITANICA. *eius vrbes primariæ.* Plin. l. 4. c. 16.

S. Amãdus Aquitanus

tem destinauit, prout infra pleniùs enarrabitur. BELGICA, siue à *Belgio*, Belgijue ciuitate, vt vult Isidorus, siue à *Bellouacis*, Belgarum nobilissimis, Cęsari, qui apud Hubertum Thomam vernaculè die Belgen/ siue Welgen/ siue denique à *bellis*, quibus perpetuis cum Transrhenana gente distinebatur, vt ex Tacito & Cæsare liquet, appellationem sortita, ab Oriente limitem Rheni habet & Germaniam; ab Euro Alpes Apenninas, à Meridie Prouinciam Narbonensem & Lugdunensem; ab Occasu denique Oceano Britannico attigua, Treuiros, Mediomatrices, Catalaunos, Remos, Tungros, Batauos, Ambianos, Neruios, Atrebates, Menapios, Morinos, Vangiones, Nemetes, Alsatas, apud Ammianum Marcellinum, Hieronymum, Panegyristas, ac probatissimos quosque qui Cæsarem secuti sunt, comprehendit: inque *primam* & *secundam* passim dissecta fuit. quarum illa ab Rheno ad Scaldim porrecta, Treuiros pro Metropoli; hæc à Scáldi ad Sequanæ præcipitium in mare Oceanum protensa, Durocotorum Remorum, caput agnoscebat. vtraque sub AVSTRASIÆ nomine, amplissima acceptione, cum regiæ potestatis prærogatiua ab DAGOBERTI maioribus nepotibusque, adeoque ipso DAGOBERTO, ante monarchicum regimen gubernabatur, prout haud multò post, enucleatius prosequemur. Denique CELTICA (quam & prouinciam Lugdunensem hodie nuncupant) ab Iurano monte Sequanos inter & Heluetios exordium sumit, indeque fluuio Ligeri interclusa, ab lacu Lemano (quē Strabo Pelemenam dixit) & Rhodano amne, ad vsque Oceanum Britannicum, Gobeumq; promontorium extenditur. quod autem reliquum est, à Ligeri ad mare inferum Gallicanum, Pyrenæis montibus interceptum, id Aquitaniæ tribuitur. Vrbes continet amplissimas, eas-

II. BELGICA
Isid. lib. 14. etymol. c. 5.
Petri Diuęi antiq. Belg. lib. 1.
Cæsar. l. 2. belli Gall. 4. & l. 7. c. 7

III. CELTICA.

queopulentas, Lutetiam Parisiorum, Lugdunum, Cabilonem, Heduam, quæ & Augustodunum, Senonas, Antisiodorum, Niuedunum, quæ & Niuernum (hodie Meldas dicimus) Gennabum, quæ & Aurelianum, Trecas, Carnotum, Rhotomagum, Ebroicas, Cenomanum, Luxouium, Nanetas, Andes, Andegauos, olim Iuliomagum, Abrincam, Rhedones, Venetum. Dicti CELTÆ, vel quasi Κέλητας, ἀπὸ τοῦ κελετίζειν, *ab equo exagitando*, vt Merula notauit; quod equitatu præstarent. Vnde à Celtis, qui apud Pausaniam equitum alam *Marcisiam* dixerũt, in hanc diem apud Germanos Marschiren ortum suspicamur: quin & equo, cui mollis alterno crurum explicatu glomeratio est, quique *tolutarius* Senecæ, *Gradarius* Lucillo, *Asturco* Plinio nuncupatur, Alemanicum, seu mauelis Celticum vocabulum Zelter adhæsit. Sunt qui à CELTA Luci Filio, senilis mentis iuuene, Celtici limitis propagatore nomenclaturam deriuant. Alij longè diuersas nominationes adducunt, quas nec refellimus hoc loco, nec probamus; modo illud Polybij autoritate firmatum pro vero recipiatur, *Celtas* stirpem Gallorum bellacissimam magnum semper hostibus terrorem obiecisse; vt soli Gallorum, *Celtæ* genere quodam excellentiæ Galli dicerentur. Eosdem Græcis à Candore *Galatas* dictos, Diodorus Siculus cum aliis autor est. In quorum etiam seriem *Burgundiones* accenset, GALLIÆ Celticæ quondam attributos, etsi non desint, qui partim ad BELGICAM retulerint, quorum antiquitus Prouincia, propter amplitudinem, à Romanis *MAXIMA Sequanorum*, ad vsque Rhenum porrecta, *Heduam* regionis caput agnoscebat. Habemus igitur Gallicani regni Chorographiam, quam ex antiquæ memoriæ vestigiis tenuiter hic adumbratam, Ægidius Parisinus vates aliquanto luculentiore finium,

CELTARVM *etymon*.

Merula lib. 3. Abraham Ortel. Rob. Cęnal l. 2. de re Gall. peri. 3. Beros. lib. Regib. Assyr. Amnian Marcell. l. 15. Strab. l. 4. Geogr. Lucan. l. 1. Belli Pharf. Diod. Sicul l. 6. c. 9.

BVRGVNDIONES *Celtis accensi*.

AEgidius Parisiens.

ac fontium circumſcriptione definiens, ita canit;

Scilicet in tanto regnorum corpore, quidquid
A ripis Iſtri, Rheni finitur in vndis;
Quidquid & à Rheno eſt, Ligeris quod ſubſecat amnis;
A Ligeri quidquid protenditur vſque Garumnam,
Quo ſpacio lata eſt Aquitania; quidquid atrocem
Finibus à ſummis Ligeris tranſmittit Aleſum,
Quidquid ab Auſciticis madidat Dordona deorſum
Vt cum Vaſconia, totisque iugis Pyrenæi
Verticibus ſimul, & Nauarro climate quidquid
Vlterius fluuio finem facit axis Ibero,
Quid ad Oceani refugam protenditur vndam,
Et redit ad partes, quas Scaldis & Axona ſulcant,
Et circumpoſitis vſque in confinia Graiûm
Gentibus, impoſuit dominantia iura tributi.

Hanc tam latè patentem Galliam, atque vt iam dixi, tripartitam, Franci aliquot ab hinc retrò ſæculis per interualla penetrantes, etiamnum cum nunquam intermoriturâ Gallofrancici nominis gloriâ obtinent. Eandem vniuerſam, Ariberto ex Sichil de nouerca, fratre, rebus mortalibus exempto, DAGOBERTVS Monarcha XIV ipſos annos gubernauit. Sed iam de FRANCORVM ad GALLOS immigratione proximus ſit dicendi locus. al. XVI.

NOTA.

De alijs GALLIAE diuiſionibus, item de CELTIS nonnulla.

Vides, Beneuole Lector, Iulium Cæſarem, GALLIAS in tria populorum genera tribuentem, omnibus maximè diſtinxiſſe, à quo nec Plinius Polyhiſtor abhorret. Olim tamen Romani bipartito diuiſerunt, vel à ſitu, in *Ciſalpinam*, ad quam commigrauerant, & *Translapinam*, quà venerant; vel ripis limi- Plin. l. 4. c. 17. & ſeqq. & lib. 3. c. 14.

tibusque fluminum, in Cisrhenanam, & Transrhenanam. Quin & Franci eandem iam armis occupatam, qua Septemtrionem respicit, Mosæque & Rheno interiacet, AVSTRASIAM, quà vero Boreæ à Mosa ad Ligerim obiacet, NEVSTRIAM appellarunt. Sunt qui amplissimè, ab habitu cultuq; in *Tegatam Comatam, & Braccatam*; alij ab idiotismo, in *Francicam, Teutonicam* (cuius pars Romanensis, siue Wallonica dicta) quà Flandriæ; & *Cantabricam*, quà Britanniæ contigua est; dispertiantur. Octauius Augustus quadrifariam diuisit; Nam priscis vsitatissimisque *Belgicæ* & *Aquitaniæ* appellationibus retentis, *Lugdunensem* & *Narbonensem* superaddit, nomine à duabus nobilissimis, iisdemque rerum omnium copia & emporio florentissimis ciuitatibus deriuato; quam partitionem grauissimi Geographorum, ex Græcis Strabo & Ptolemæus, ex Latinis, Plinius, Orosius, & alii secuti sunt. CELTAS quod attinet, video apud autores tripartita ferè significatione censeri; atque interdum angustè & proprie Celticam dici, quæ vltra Rhenum arctata, in vltima demum Gallia hæsit, tertiam eius circiter partem complexa, quam ex Cæsare designauimus. rursus aliquantò laxius, vt etiam Belgas & cæteros ad vtramque Rheni ripam accolas comprehendat, quo sensu apud Zonaram; Ἔθνος οἱ Νέμετζοι κελτικόν, audiunt. denique adeò diffundi, vt Rheno traiecto etiam ad Boios, Sueuos, Heluetios, quin & ad Gades, indeque ad Scythas porrigantur. Hinc non tantum Celticè loquuntur apud Glareanum Brisgoienses, Sequani, Heluetii, imò & Boii; verum & Celtiberiæ & Celtoscythiæ clara apud Ephorum, & alios nomina cum idiomatis sunt propagata.

Aimoin. in præf. de gest. Franc. al. AVSTRIAM.

Cæs. l. 1. & 3. belli Gall.

Nemetes Celtarum genus.

Ephor. apud Strab. l. 4. Hipp. apud eund. l. 2.

Caput

Caput Secundum.

FRANCIÆ in Galliis primæua origo. Eiusdem partitio in ORIENTALEM, *&* OCCIDENTALEM.

GALLICANO solo genethliaco & proprio, FRANCIÆ nomen gentilicium atque aduenticium sub Merouæo DAGOBERTI nostri atauo accessisse, præter incorrupta vetustatis monimenta, tam patrii, quam exteri regionum Scriptores affirmant. De primo tamen nomenclaturæ parente non perinde conueniunt. Etenim alii eam à *Franco* Hectoris Filio, Priami Troianorum Regis Nepote, qui coacta Gallicæ nationis bellicosa manu, rerum in Scythia Mœotide potitus fuit, accersunt. pro quibus inter veterrimos testes Ioseph⁹ Gorionides producitur: alii tamen longiùs prouecti, Marathonem apud Fl. Vopiscum, & Æmilium Probum sequuntur; qui à Franco, seu *Francione Gomerita*, cui cognomentum *Gallo*, & & apud complures *Galatæo* fuit, originem trahunt. denique sunt, qui à *Franco Antharii* Sicambrorum Regis filio natu maximo, victoria Gothico inflectunt; quem tantam populi gratiam collegisse perhibent, vt Regis sui intuitu ac fauore, priscam *Sicambrorum* appellationem etiam publico edicto deposuerint. Ita non rerum tantum; sed & nominum, vt vides, obscura sunt principia: nos illud vero propius arbitramur, quod numero & autoritate potiores historici tradiderũt. Igitur FRANCI, quos rudi adhuc sæculo, ex nostri etiam DAGOBERTI mente *Troiugenas* fuisse asseremus, Hellespontiaci maris faucibus enauigatis facti extorres, colo-

FRANCI *sub Merouæo in* GALLIAS *penetrant.*
Franci Troiugenæ. Sicambri.
Ioseph. Gorion. hist. Iud. l. 5.
Vvilhelm. Longæus l. 2. Gall. hist. Greg. Turon.
Flau. Vospiscus in Aurelian.
Prob. AEmil.
Vincent. Bellnac. in spe.
Michaël Rit. in hist. Gall.
Oros. l. 6. c. 20.
Hunibald. l. 1. c. 76.
Rob. Cænal. l. 1. rei Gall. perio. 12.

niis

niis aliis aliò deductis, primum quidem Europæam Scythiam auspicatò incoluerunt, duce Franco Hectoris Filio, quem supra collaudauimus, rerum ibidem ad annos prope CCLXXX potiti. dehinc, postquam multis in amplissimâ prouinciâ oppidis constitutis, per longinqui temporis interuallum bello Troiano confecto, sedes ad Tanaim ac Moeotidis paludes fixissent; siue eas pertæsi, siue Gothis Scanzianis perpetuò infestantibus deserere compulsi, è Danubii ostiis commigrantes Antenore Hectoreo antesignano, bellique reliquiis per varias orbis plagas dispersis, pars *Pannoniam Sicambricam* tenuerunt, subinde Sicambrico nomine permanente, Transrhenanæ regionis agris, vt è Ptolemæi tabulis cõstat, incumbentes. & Appianum, Laziumque Auctores habeo, eosdem *Sicambriam* ad ripam inferioris Pannoniæ condidisse, ab Attila deinceps destructam; cuius vestigia & rudera in hanc diem haud procul Buda Hungariæ metropoli Pannones *Schambri* nominant. id quod ex peruetusta epigrapha inibi labentibus annis repertâ, Lazius firmari notauit. pars Rheno traiecto, iis locis, quæ Rhenũ inter & Albim sunt, vbi à Ptolemæo Chauci, Bisactores, Frisii reponuntur, consederunt, nomine *Sicambriæ Cisrhenanæ* indito. Vnde postea cum vetere Sicambrorum appellatione, Cimbri, Tungri, Geldrenses, Menapii, Cliuenses, oriundi. Cæterum Romano Imperio inclinante, cum *Franci* siue *Sicambri* Belgicam vniuersam Romanis extortam, suam fecissent, tandem, vt Godefridus Viterbiensis Frisingensem imitatus, commemorat, Gallicanis vrbibus; Tornaco, & Cameraco captis, deinceps sensim progressi, Remos, Suessionas, Aureliam, Coloniam Agrippinam, Treuiros, & circumsitas vrbes subiugarunt. Exinde Gallis plusquam ad ducenta millia, vt aiunt, cæsis, atque ingente, vt fit, metu

Tab. Mercat. Lucidus l. 6. c. 2. Luitprand. l. 1. c. 6. Naucler. gener. 63. & 27. God. Viterb p. 17. Steph. Forcat. l. 5. de Gallor. imp Ioan. Auent l. 4. annal. Boior. Nicol. ser. in Notis ad S. Kilian. Vvolff. Laz l. 3. de migrar. Gent Appian. lib Antiquit. Vrspergens Chron. Ammian. l. 15. Otto Frising. l. 5. c. 9 God. Viterb. Chron Ado Viennens. in Chron. Tritem. de orig. Franc.

FRANCI *Romanos domant.*

vicinis

vicinis nationibus incusso, Francorum nomen cunctis cœpit esse formidabile. Cumque Thuringos inter & confines Sueuos, gentem id temporis bellacissimam, implacabile dissidium perpetuaret, Genebaldus Francorum propter Rheni ostia degentium Dux belli artibus inclytus, Thuringorum accitu, iisdem aduersus Sueuos, maximis copiis accersitis, in tempore suppetias venit. Ex quo tempore, sub annum Christi CCCXXVI sede Francis propter Wirceburgum assignata, ceu obice murato, munitissimoque, Sueuorum hostilitas atque audacia compressa est. Quin & Franconum Orientalium dominatu inualescente, Thuringorum potentia decreuit, regio eorundem titulo, regnoque à Franconum Ducibus sub annum orbis redempti DXXIV penitus abolito; Francis illinc Gallias, hinc Franconiam & Thuringiam occupantibus. In tanta igitur prouinciarum amplitudine gemino Magistratu gubernata, duplex Francia euasit. ORIENTALIS, quam passim *Franconiam*, patrioq; idiomate Franckenland, Lazius *Ostro-Franciam* nominat, vti eius incolas ad amœnissimam Moeni ripam, *Franconas*. Hæc nobilissimos fluuios, Mœnum, Nabum, Salam, & Ægram comprehendens, cis citraque Rhenum ad vsque Boiorum confinia protenditur. Gentis caput Francofurdia ad Mœnum. Vrbs primaria, eademq; Ducum olim, hodie Antistitum regia,

FRANCIA Orientalis.

dicta Fraconia.

Francofurdia.

HERBIPOLIS.

HERBIPOLIS, quondam Druidum celeberrima sedes,
Francigenæ eximij quos coluêre viri.
Herbipolis Bacchi & Cereris pulcherrima Mater,
Et Moeni decus, &c.

Regnatum in ea fuit quatuordecim supra quadringentos annos, ab viginti Ducibus, sibi ex eadem prosapia, continuatâ serie, succedentibus. In his Pharamun-

Pharamũdus, primus Francorũ Rex. de quo infr. c. 5.

dus, Marcomiri Filius, Clogionis Nepos, qui cum Ducali nomine, annos præter propter XV suis cum imperio præfuisset, anarchico interregno ad sex supra viginti annos in Gallia cisrhenana euoluto, sub annum partæ per Christum salutis CDXIX magna procerum voluntate consensuque, Wirceburgi primus Francorum regio titulo cum potestate inauguratur. Quare in *Francogalliam* cum insigni Principum & Druidum comitatu nouus Rex concedens, Genebaldo Fratri opibus prævalido Orientalis Franciæ Ducatum cessit. qui deinde per S. Kilianum, gente Scotum, sub Gosberto Duce circiter annum Christiani sæculi DCLXXXVII ad salutiferam fidem traductus est; quoad anno quinquagesimo secundo, post gloriosum S. *Kiliani*, Sociorumque Martyrum,

S. Kilianus Franconiæ Apostolus.

Colomanni, ac Totnani agonem, qui fuit restituti per Christum orbis quadragesimus primus post septingentesimum, Pipinus cognomento Breuis, Zachariæ Summi Pontificis annutu regno Franciæ decoratus, ditionem Franconiæ ad Presulatum eueheret, in eoque S.

S. Burchardus I. Episc. Herbipolensis.

Burchardo, primo Wirceburgensis Ecclesiæ Antistiti, Sacri iuris dicundi potestatem consignaret, quod hodieque in Successoribus vnà cum Ducatus prærogatiua, magno eius Patriæ bono perpetuat.

FRANCIA Occident.

Porro *Francia Occidentalis*, quã vernaculè Franckreich, vti incolas Frantzosen, dicimus, & si Auentino fides est, *Francigenas* vel Francos nouos; vniuersam, quam supra circumscripsimus, Galliam, omnemque Germaniam à Rheno ad vsque Illyricum Caroli Magni æuo comprehendebat.

Etymon Franciæ à libertate.

Vtraque, tam Eoa, quam Occidua, nomen à *libertate* corriuat, vel potius à Francis, primis, vt antea retuli, parentibus inditam nouo partæ conseruatæque *libertatis* præconio clarius illustrauit. Enimuero cum sub tempora Valentiniani Augusti, Romana Respublica mole

sua

ſua laboraret, Alani Imperium igne ac ferro vexantes, magnam Cæſari ſolicitudinem iniecerunt. ergo quod tali re ac tempore vnicum faciundum viſum erat, voce præconis denunciauit; libertate atque immunitate vectigalium in decennium donandos, qui Alanorum ferociam armis compeſcerent. Hoc præmio animati, perſuaſique *FrancoSicambri*, delectu ſuorum habito, armiſque correptis, cum in acie gentes eas viciſſent, deleſſentque; libertate ad decennium potiti ſunt; partumque ſua virtute libertatis inſigne non ipſi tantum mordicus, natiuâ vocabuli Francici appellatione retentâ, conſeruarunt; ſed eâdem in vicinas quoque gentes propagatâ, illud conſecuti ſunt, vt immunis atque ingenuæ conditionis homines vulgati Hiſpanorum, Italorum, ſed & Germanorum linguâ *Franco* vel *Franq* vocentur. Certè in Eccleſiæ Mindenſis priuilegio, quod Carolus Magnus dedit, hoc ſignificatu *homines ipſius Eccleſiæ Francos liberos eſſe* ſancitum eſt, vt Lindebrogius in gloſſario adnotauit. Quin, ſi Auentino & Reineccio fidem adhibemus, vulgus etiam Franconicum vel Freye Francken / (quaſi *liberos* dicas, ac *nobiles Franconas*) vel Freye Ancken / (quaſi *liberi coloni*) Thuringica, Franconicaq; dialecto appellati ſunt. Verum decennali immunitate euoluta, Romanis vectigalem exactionem denuò indicentibus, Franci ſeu libertatis dulcedine illecti captique, ſeu auito eius retinendæ ſtudio acres, tributum pendere recuſant. Nec mora. Valentiniano bellum denunciante, Franci per libertatis annos numero, copiis, viribus aucti, Antenore & Priamo priſcorum nominum ac virtutis Principibus copias ductantibus, ſupremo conatu bellum parant. in quo Priamus cum fortiſſimis ſuę gentis occidit; illud tamen conſtanti multorũ fide traditur, Francos huic cladi ſuperſtites ex hoc tempore imperij

exteri iugum vel admisisse penitus nunquam, vel excussisse quamprimum, atque cum antiqua libertate veterem & communem genti Francicæ libertatis denominationem in hanc diem adhæsisse. Sed latebrosa hæc vulgò; at nostratibus eruditis non incomperta, per me licet, morosius excutiant, qui ex Cæsare, Cornelio Tacito, Hunebaldo antiquitatem, laudemque Francorum huc accersere solent. Ego limites, quos mihi præscripsi, & semel constitutam Dagobertini æui orbitam, tractusque non facilè, neque temerè excessero. Quare Franciā tantisper egressi, in AVSTRASIAM, ALSATIAMque commigremus.

Phocens. apud Stephanum Byzāt, Strabo lib. 4. geogr. c. 7. Cic. ad Attic. l. 14. ep. 10. Manutius, Lambin. ib in commēt. *Franci populus Italiæ Alpibus vicinus.* Hieron. ep. ad Nepotiā. Eutrop. l. 9. & Rhetor. in Paneg. Vopisc. in vita Aurelian. Paul. Diac. l. 3. Longob hist. c. 13. *excellētissimam.* Serar. notis in S. Kilian

NOTA.

De Antiqua FRANCORVM Origine.

SVnt, qui pertendant, Francorum nomen inclinante primum Imperio auditum esse. à quibus vt dissentiam, faciunt supra memorati aborigines. Sanè apud Parthenium Nicænum, vti & Strabonem, Φράγγοι ἔθνος Ἰταλίας τῶν Ἀλπείων ὀρῶν ἐγγύς describuntur. Subscribit M. Tullius epistola ad Pompon. Atticum, *Redeo ad te, Bessos, Sueuos, Francones, &c.* Vbi cum *Bessi* apud Hieronymum; *Sueui* passim apud Scriptores noti sint; non est, quod nonnullorum, nescio quibus, verborum portentis in excogitanda Francorum metathesi fidem habeamus; præsertim, cum doctissimus noster Serarius præclaris suis in D. Kilianum, Franconum Apostolum, notis, nubem testium adducat, quorum consentiens opinio fuit, longè ante Valentiniani tempora *Francorum* nomen, addo & terrorem, viguisse. nisi forte tunc quis neget Francam gentem extitisse, quam prisco illo æuo Iul. Cæsar *bellicosissimam*, Seneca *nobilem*, Plutarchus προφερεστάτην, Florus & Orosius *fortissimam* nuncuparunt. Neque velim hic cum aliquammultis contentiosum funem trahere, num Franci Orientales ex Occidentalibus, an ex aduerso, Franco-Galli ab Franco-Germanis originem trahant. Mihi amicum nuper arbitrium supra lau-

dati

dati Serarii arrisit, quod Illustrissimum Cæs. Baronium secutus candidâ animâ protulit: vtramque Francorum propaginem *ita communi ab radice deduci potuisse, vt neutri ab alteris; sed vtrique à veteribus tamen Francis per suas colonias, caussasque diuersas exstiterint; sicque, si non Germano Franci FrancoGallorum parentes sint, vel è contra, ipsi tamen inter se ambo fratres sint, & consanguinei, eorundem maiorum satu editi; vt meritò magna inter eos charitas & necessitudo vigere debeat.* Ita Serarius, vti erat vir religiosus, vtramque nationem insigni amoris æquabilitate complectens. Cui quod apponam, equidem non video. Quam vero sedem primum occupauerint, cum in Gallias venerunt Franci, in tanta Scriptorum discordia nō facilè dixerim. *Rheni accolas* facit Albertus Crantzius, Sidonio illi assentiente; alibi tamen sui immemor *ad Valachim* statuit. Andreas Althamerus cum *Geldrensibus* confundit. alii aliter statuunt. Mihi & hic nihil admodum liquere, id vnum scio.

Crantz. lib 1. hist. Saxō c. 16.
Sidon. Apollin. car. 7.
Altham. in Tac.

Caput Tertium.

AVSTRASIÆ topothesia, partitio. Reges vsque ad DAGOBERTVM.

GALLIAM FRANCIAMque limitaneis finibus circumscriptam rite atque ordine excipit AVSTRASIA, per DAGOBERTVM, ante susceptam FRANCIÆ Monarchiam Clotario iam tum viuo regnata, *Occiduæ Franciæ* nobilissima, fœcundissimaq; portio. Enimuero *Franci* Galliam omnem Romanis, vt iam commemoratum est, bello extortam, bipartitò diremerunt; eamque regionem, quæ ad Septemtrionem vergit, & Rheno, Mosaque intercipitur, AVSTRASIAM; quâ vero Ligeris & Mosa interlabuntur, NEVSTRIAM dixerunt. quò fit, vt sicut *Austriam* Germaniæ (quam hodie Serenissimi Archiduces Austriaci legitimo hæreditatis iure admini-

Reb. Cęnal lib. cit. & in epitom. descr. Gallic.
Vvolffg. Lazius l. 1. Geneal. Austr.
Aimoin. l. 4. c. 57.
B. Rhen. l. 1. rer. Germ.

Stephan. Forcat. de Gall. Imp. Munster. Cosmogr. lib. 2. Nicol. Clemens de Reg Austras. Georg. Alber. hist. S. Sigeberti c. 1. & seqq.

AVSTRASIAE Etymon & origo.

Theodor. Piesp. in Stem. Rosier. tom. 4. Stemm.

strant) Germaniam Orientalem; ita Galliæ *Austriam*, seu *Austrasiam*, tamquam Orienti propius obuersam. Galliam Orientalem, *Neustria* oppositu rectè appellemus; præsertim si Scaligerum, & complures recentiorum audimus, qui, sicut partim è Francicarū legum interpretatione, partim aliis multis documētis obfirmatè pertendūt, veterum Francorum dialectum Germanicæ Teutonicæque nostræ gemellam fuisse, ita natiuo quodam idiomate *Austrasiam* 'Osterreich; at *Neustriam* (quasi Westrasiam diceres) Westerreich appellatam volunt. Cui affine est, quod de Ostro-Gothis, & West-Gothis, (qui postea Wisegothi dicti) tradidere. quorum illi ad ortum, hi ad occasum vergebant. Alij tamen AVSTRASIANI nominis etymon repetere solent vel ab *Austraso*, sago iuxtà & toga eminentissimo, quem in rerum præclarè gestarum precium Iustinianus Imperator ditioni illi tum præfecerat, cum penes Romanos (quos postea Clodouæus, I id nominis Francorum Rex, excusso penitus iugo, Gallia exegit) ius imperiumque esset: vel ab altero cognomine, Brabantiæ & Tungrorum Duce, Landonis Filio, qui Francorum rebus contra Romanos crescentibus ad Childericum, eius appellationis IV, Francorum Regem defecit, & ab eodem cum potestate Gubernator per Galliam Belgicam sub annum salutis CDLXXVIII institutus est. Erat porro amplissima priscis temporibus AVSTRASIÆ ditio, ab extremis Burgundionum finibus (qui ad Iurassi montes Galliæ Celticæ in Sequanis extenduntur) ad vsque mare Frisium, Rhenum inter & Scaldim porrecta. Itaque Mediomatrices, Traiectum, Treuiros, Vbios, Magontiacum, Cliuos, Geldriam, Brabantiam, Hollandiam, Zelandiam, Hannoniam, Hasbaniam, Eburones, tum Limburgensem, & Lucemburgensem Ducatum, & quid-

AVSTRASIAE veteris amplitudo.

quid

quid cis ac trans Rhenum Comes Palatinus obtinet, denique Alsatiam, Lotharingiam, Burgundiones, Bullonium, Barrum Ducis, & Arduennam comprehendit Quare propter amplitudinem regni titulo decorata, seorsim à cæteris Galliæ regnis gubernabatur, regia sede potissimum in Vrbe *Mediomatricum* collocata; tametsi quandoq; apud *Vbios*, interdum etiã *Aquisgrani* defixam referant sequioris maximè sæculi autores. Hanc eandem primit⁹ noster DAGOBERTVS ex ephebis egressus, cũ regiæ potestatis prærogatiua, boná Clotarii parentis voluntate adeptus, adiunctaq; posteris annis Burgundia ampliorem, Sigeberto Filio consignauit. quod infra exequemur. Et sicut ante Christi natalem, Duce Brenno, Gallia Germaniaque vno *Galatiæ*; postea vero sub Merouæo, vno *Franciæ* nomine continebatur; ita fuit tempus, quando vnicum *Austrasiæ* Regnum promiscuè communem *Alemaniæ, Germaniæque* appellationem tulit. vnde maiorum æuo, vniuersos Rheni accolas ab nostra Alsatia vsque ad Oceanum, itemque inferæ Germaniæ populos, Alemanos compellare solens fuit. Cæterum, quod plerisque gentibus accidit, vt procedente tempore fines earum alternarent, nunc angusti, nunc ampliores, pro rerum euentu; hoc AVSTRASIÆ cum primis euenisse comperior. Etenim seu belli fortuna, seu pro voluntate imperantium, variantibus rebus, Austrasiæ regnum maximis quibusque partibus detruncatis, accisisque, soli illi demum AVSTRASIÆ appellationem reliquit, quæ ab Lothario, I eius nominis Cæsare, Ludouici Pij Filio, Caroli Magni Nepote, post prælium Fontanense, *Lotharingiæ (* vulgò Loraine*)* vocabulo ab se indito, eum duntaxat regionis tractum comprehendere cœpit, qui Vosagum inter & Iuram montes, itemque Sequanam & Belgas excurrit, hodieque

Sedes Regia Austrasianorum Regum.

anno ante Christum 388.

Austrasiæ limites alternantes.

Austrasia in Lotharingiam coartatio.

floret

floret inter S.R.I. Ducatus prænobile mēbrum, olim per Ottonem, eius nominis I Cæsarem, cognomento Magnum, effecta; quæq; per Serenissimos Lotharingiæ Duces in optatissima gubernatione administratur. Porro NEVSTRIA regnum Franciæ Occiduum, amplissimo significatu, regiones omnes Mosam inter & Ligerim complectebatur, cui Metropolis erat Lutetia Parisiorum. Hæc in suos quoque tractus tributa, polyonyma effecta est, vt à tentorii velaminibus *Velocassia*, à Baiis & aquis stagnantibus *Baiocassina*, ab saxis natiuo candore ebur repræsentantibus, *Eburonica*, à paludibus *Augiaca*, à Camporum planicie *Campidonensis*, siue Campaniæ, ab solo lubrico *Luxouiensis*, ab arborum & fruticum felicitate *Arboretana*, à ponte Rothonio, è rubricato ac coctili lapide constructo, *Rothoniensis*, hodie *Rhotomagensis*, aliasque id genus appellationes partitim sortita sit. quoad & ipsa denique Neustria per multiplices bellorum offensiones, quæ in tanta temporum vicissitudine deësse nunquam poterant, ad exemplum Austrasiæ, detrita, in Galliam Lugdunensem secundam, *Marchiæ* suscepto vocabulo, contraheretur. Quæ suum quandoque agnouit singularis tituli Toparcham, Parisiensem Comitem, eundemq; supremum Gallicani littoris Gubernatorem, quem hodie corrupta voce *Admiraldum* dicimus. Verum externa mittamus; qui sat oneris suscepimus rerum Alsaticarum commemoratione. Prius tamen bona Lectoris venia, perbreuem eorum syllabum strictim referam, qui cum regiæ autoritatis splendore vsque ad DAGOBERTVM, AVSTRASIAM in sua ditione habuere. Horum agmen ducit THEODERICVS, Clodouæi I Christianissimi Galliarum Monarchæ ex Crotilde Burgunda Filius natu maximus, Childerici I Nepos; qui, vt erat armis inclytus, Aruer-

NEVSTRIAE *regnum & partes.* aliqui *Neustresiã vocant.*

REGES AVSTRASIAE.

I. THEODERICVS. *Clodouæi I. Filius.*

niam,

niam,& Thuringiam Austrasiano sceptro adiecit. idem Eustheram Alarici Gothorum Regis filiam thoro sibi iunxit, è qua, præter Theodebertum, Clodildem suscepit, Carolo Hasbanio Tungrorum Duci deinceps nuptam, vita functus, cum annos tres & viginti regnasset, anno partæ per Christum salutis tricesimo septimo supra quingentesimum. Theodericum à morte Patris excepit THEODEBERTVS pari animo, maiore fortuna, Thuringicis, Danicis, Siculis victoriis apud præcipuos Scriptores clarus, vt *Potentissimi* cognomentum meruerit. Wisegradam Gasthonis Longobardorum Regis prolem natu maximam sibi pactis nuptiis sociauit, è qua Theobaldum sustulit. Bonus Princeps, & religioni cum primis addictus, ni maritalem thalamum, Dantherâ Romanâ Biterræ Dominâ superstiti Coniugi superinductâ, turpiter fœdasset. Diui Mauri Cœnobium extra Vrbem Parisinam peramplâ dote assignatâ, condidit: deniq; Viroduni regia sede, dũ viueret, collocata, anno redempti orbis quinquagesimo supra quingentesimum, regni quartodecimo, inter mortales esse desiit; & THEOBALDO gubernacula consignat, quæ is per sexennium tenuit, Waldrachâ Gasthonis Longobardici minore natu filiâ sterili, sibi coniugio copulata. cui sub annum DLVI à CLOTARIO id nominis I. Suessionum Rege, Clodouæi I supra laudati Francorũ Regis superstite iamtũ filio, Theobaldi magno patruo iam annis & laboribꝰ obsito, è Theobaldi testamẽto successum est. Hic nouena sobole felix, ex Igunda, Guntero, Childerico, Guntramo, Sigeberto, Cheriberto, qui & Haribertus, deniq; Clodomira: Ex Aregunda, Chilperico, è Runigsena, Crano, è Causona, Blitilde; tandẽ verò ex Radegunda Berterij Thuringorum Regis filia, quam vitæ puritas Deo acceptiorem quam marito, cæ-

II. THEODEBERTVS I.

al. *Vacchonis.*

al. *tertiodecimo.*

III. THEOBALDVS. *regnauit annos VI.*

IV. CLODARIVS I.

al. VValdratha. litib' postea inseruit) itemq; ex Waldradâ viduá improlis;cum in Suessionibus annos quinq;& quadraginta, in Austrasiâ decem regnasset, Campidoni vitâ excessit sub annum à Christo nato DLXVI. tumulatus ad D.Medardi, cui viuus in Suessionibus Ædem dicatam erexerat. Hunc SIGEBERTVS, id appellationis primus, Hunnorum domitor assecutus est, Brunechilde Athanagildi Wisigothorum in Hispaniâ Regis Filiâ, in coniugem pactâ, ductaque, posteaquam illa luem Arrianam, Sacro fonte lustrata, eiurasset. Ex hac Childebertum, Iungundem, Hunigildo Wisigothico, & Closinden Richardo Longobardico nuptas, superstites reliquit. Regno potitus est annos XIV. decessit DLXXIIX.

V. SIGEBERTVS I.

VI. CHILDEBERTVS. Sigeberto è viuis sublato, CHILDEBERTVS Austrasiorum Rex & hæres vnicus, maximâ Procerum, populiq; consensione subrogatus est, magnarū virtutum ornamentis; sed religione vel imprimis excultâ spectatissimus. Regiam Argentorati habuit. Ex Faldubradâ Wisegothicâ *Theodebertum* Filium Suessionibus, *Theodericum* Aurelijs, Burgundionibus, ac Delphinatui Reges dedit, posteaquam illi Guntrami Patrui excessu Burgundiæ regnum accreuisset. At post mortem Childeberti, anno sexto sæculari Theodebertus & Theodericus Fratres; inexpiabili odio, vario ingenio, fortunaque Austrasiam gubernarunt; quorum ille Welschilde ductâ Sigebertum dedit, regni septimodecimo vitâ cedens: hic ex Hermenbergâ Bertrici Hispaniarum Regis filiâ Sigebertum & Corbum genuit, regnumque anno vno terminauit, rebus humanis circiter annum vndeuigesimum supra sexcentesimum exemptus. Atque ita Childeberti sobole stirpitùs extinctâ CLOTARIVS eius nuncupationis II. trium Regnorum ex asse factus hæres, Austrasiorum quoque summam capessit, quam

VII. & VIII. THEODEBERTVS & THEODERICVS II.

IX. CLOTARIVS II.

vbi

vbi XII. annos gubernasset, multis partibus ampliatam DAGOBERTO Filio in regni consortium adscito, contradidit. de quo erit suus dicendi locus. Nam hîc Regum AVSTRASIÆ enumeratio consistet; si vlteriùs procedat, molesta potiùs, quàm ex vsu futura.

X. DAGOBERTVS. *ann. Christi 628. init regnū Austras.*

NOTA.

De AVSTRASIAE Etymo, & NEVSTRIAE amplitudine; deq; Regum Austrasianorum domicilio.

AVSTRASIÆ regnum, quod iam suis finibus circumscripsimus, etiam AVSTRIÆ vocabulo insigniri, ex peruetustis MSS. Codicibus doceri potest. quod eo significatu accipias, licet, quo NEVSTRIÆ oppositu, plagam Orientalem consignat. Nam Austriam quandoque accipi pro Oriente, cùm aliunde colligas, tum ex perueteri S. Notheri, qui sub annum DCCCLXX. ætatem degit, Martyrologio; vbi S. Kiliani Wirceburgensis Patroni certamen, diemque anniuersarium notans; *In pago*, inquit, *Austria*, (ditionem Franconiæ supra descriptā indicans) *id est, noua Francia, castro, imò ciuitate* Wirtzburg/ *iuxta Moin fluuium sita*, &c. ita Notherus. *Sedem* verò *Regum Austrasianorum* vt attingamus; quemadmodū florente Romanorū Rep. Augg. Cæsares, Cōstātinus & successores, Treuiros, Galliæ Belgicæ metropolim, frequentes incolebant; inde bella in Germanos & barbaros mouebant, rescripta (quorum magna pars in Codice Theodosiano etiamnum superest) Senatui Romano, & prouinciarum Præsidibus dabant; atque hinc *domicilium Principum clarum* Marcellino, *Sedes Regni* Ausonio, *Augusta Treuirorum* vulgò dicta: sic Romano inclinante imperio, post Gallias à Francis occupatas, cum in Treuiris superante hostilium copiarum magnitudine omnia in præceps ruerent, vti Saluianus testis oculatus grauissimè deplorat, sedes quoque regni vnà cum nouis rerum Dominis translata fuit. Vnde post memorabilem Clodouæi Christianissimi victoriam Tolbiacensem, cum vtraque

Am̄. Marc l. 15. Auson. in Mosella. Freh. not. in Auson. Salu. l. 6. de prou. B. Rhen. rer Ger. l. 1. MS. Chron Argent.

Germania, Belgicaque in eiusdem & posterorum Franciæ Regum potestate esset, sæpe factum videmus, vt in Franciæ regno filiis parentes, imperij habenas concrederent, sæpe vnà fratres regnarent; qui plerumque diuersis regni partibus augustalem sedem defixerunt. Hæc vt in Neustria, Lutetiæ Parisiorum; ita in Austrasia apud Mediomatrices potissimum fuit. Sic igitur Theodoricus, Theodebertus, Clotarius, aliique complures cum DAGOBERTO nostro palatium regium creberrime in vrbe Mediomatricum, interdum etiam apud Troniam (hodie Kirchem dicimus) non raró Rubeaci in Alsatia, loco venationibus, & aulicorum frumentationi, annonæque opportuno, alias alibi frequentabant. vnde simul totam Austrasiani regni ditionem faciliùs moderarentur. Porro NEVSTRIAM quod attinet, constat eos falli, qui amplissimum Franciæ Occidentalis regnum, vti vidimus, in vnius Nortmanniæ angustias retrudunt, quam limitaneum duntaxat Neustriæ marginem siue vt alij vocare solent, *Marchiam*, non ipsam Neustriam esse, apud probæ fidei autores indubitatum est. neque dissimulandus illorum error, qui *Vastum regnum*, vulgò Westerreich duobus fluminibus Bliessà & Sara è monte Vogeso in Mosellam confluentibus, & præaltis montium iugis clausum cum iam memoratâ Francorum NEVSTRIA confundunt.

Caput Quartum.

AVSTRASIÆ veteris primaria ditio ALSATIA. Eius & potissimum ARGENTINENSIS Diœcesis situs, ambitus, & flumina. Item, Magistratus, ac Dignitas, è veteri recentiq́ memoria.

ALSATIAM (alias *Elisatium*) quæ facilè omnium regionum in Austrasiano quondam regno principatum obtinuit, olim *Triboci*, Cæsar. belli Gall. lib. 1.

(quos

(quos *Tribonos* Ptolemæus, Cæsar *Triboces* vocat) ad exemplum Rauracorum è transrhenana Germania in cisrhenanam, relicto natali solo egressi, & ad Rhenum considentes, sub Mediomatricum ditione, Cæsaris æuo incoluerunt. ex quo factum reor, vt Galliæ Belgicę antiquitus connumerati sint. Hæc mitissimo cœlo, clementibus indigenarum accolarumque ingeniis, diuite cultura, frugum omne genus vbertate nulli cæterarum ditionum concedit, plerisque etiam superior est. ager rarâ frugum fertilitate, præcipuâ vini nobilitate, ferax, bonus pecori; in quo nihil prope ociosum aut sterile reperias. omnia vel pomariis, & felicium arborum plantariis iucundè consita, vel gratissimo pabulo amœne virentia, vel arua segetibus læta, & pecorum vsui gramine fænoque opportuna, vel denique vitiferis collibus circumsecus luxuriant. Quocunque loco humum commoueris, obuius & paratus humor, atque aqua iugis exuberat, potui plurimum apta. Vnde locis omnibus amænitas eximia. siluæ feras alunt. venationi lignationique accommodæ. piscium affatim, fluuij, quos passim montes euomunt, suppeditant. Multa Oppida & municipia Alsaticæ ditioni parent: pleraque vetustate, ac priscis Romanorum monimentis spectatissima, splendore ædificiorum, arcium, vrbium, vicorum frequentia, locorum propinquitate conspicua. vt verbo dicam; quidquid aliis ditionibus per partes tributum est, id omne huc in vnum locum larga manu, quasi secum ipsa certans natura congessit, rara aliarum terrarum felicitate, magno Alsatiæ gentis splendore, famaque; exterarum vero nationum haud leui prouentu, vti ad quas ex Alsaticis opibus fructus emanat longè vberrimus. In eandem VOSAGVS mons,

Corn. Tac. lib. 20. B. Rhenan. l. 1. rerum Germ. Pet. Heut. l. 1. & 2. de Belg.

ALSATAE *nunc vbi quondam* TRIBOCES.

ALSATIAE *flumina è Vogeso.*

qui Alsatiam ab Lotharingiâ disterminat, & munitissimi propugnaculi ritu circumsecus ad Occiduam plagam obuallat, insignium fluuiorum scaturigine felix, plurimos amnes, variis fortunæ casibus commemorabiles, gremio suo effundit, qui per Alsatiæ mediterranea deuoluti Rhenum petunt. Ac primùm, vt à superâ regione ordiamur, indidem per amœnissimam conuallem *Masonis Munsterianam Tholder* scaturit, (*Olruna* olim illi nomen fuit) octennis filii MASONIS Ducis, qui prænobile Partheneion suo nomine insignitum, in Sundgouiâ sub annum DCCXXX. posuerat, infaustâ suffocatione funestus. Eum propter *Ollenbergam*, & *Lutenbacum*, ambo præcipua quondam religionis Collegia, progredientem, ILLVS ad *Ilsaci* confluentes excipit, *Louch* è faucibus *Murbaci*, ad Vogesi radices (vbi hodie visendum principali fastigio, ac D. Benedicti regulæ adstrictum Asceterium, ab Eberhardo quondam Alsatiæ Duce conditum, reflorescit) per *Gevveilerium*, primariam Murbacensis principatus Satrapiam, euoluitur, indeque secundo flexu *Rubeaquas*, atque *Herlisheimium* declinans, vnà cum *Duro* amne, cæteros se minores riuos absorbente, tandem haud procul Colmariâ in Ellum exuberat. *Fechta* è visceribus oppidi Turckheimij ad colles vitiferos è Gregorianâ valle compluribus riuulis interceptis, magnam sui partem Colmariam influit: alteram forinsecus agris Colmariensibus irrigandis ampliter expendit. Nec longè *Strengenbacus* Rappolsteinium prætergrediens, Gemariam oppidum subit, mox ab Ello sibi vicino decoquendus. *Ergers* ad D. Otiliæ montana è præruptis saxis eluctatus, præterito in primis Sacro D. Leonardi Collegio, indeque ad vtrumlibet *Ehenheimium* supra, infraq; progressus,

Tolder al. Olruna.
Maßmünster.
Ollenberg.
Lutenbach.
Louch al. Lauch.
Murbach.
Gewciller.
Rufach.
Durus.
Fechta.
Türckheim.
Stregenbacus.
Ergers.
Ober vnd Nider Ehenheim.

atque geminos de suo nomine pagos compellans, tandem ad Illum Alsatiæ nostræ principem cursum affectat, & cum illo Grauenstadij permiscetur. *Scheer* ad Ortenburgi confinia prosiliens *Dambacum* appetit.inde per opaca siluarum volutus, *Kertzfeldio*, pagisque finitimis propè contiguus, ac Diuo Ludano, Scotici sanguinis Alsatico indigenâ & Patrono, è mediâ camporum planicie consalutato, proximè *Hipsam* ab Ello digeritur. De hinc *Andelaha* per suæ appellationis oppidum, & florentissimum Parthenonem S. Richardæ, post infelix Caroli Crassi, Cæsaris, repudium, dote atque instituto celebratissimum proserpens, in Illum propter *Fegersheimium* se immergit.proximus illi *Magel*, in conspectu castri Girbadensis, per agros Lobienses, *Rosheimium* vsque, Imperiale Alsatiæ oppidum, commeat; tandemq; Bliessenij in communem patriæ amnem semet exonerat. At *Bruscha* in confragosis rupibus supra conuallem Schirmecklanam fonte suo natus, indeque se commouens, bifido alueo supra Gresswcileriū dissectus, altero *Mutzingam* & *Molsheimium*, præclara oppida, adlambens, per amœna prata *Dagsteinium*, Dagobertinæ munificentiæ monimentum, adrepit; vbi *Mossâ* fluuio, qui per vallem coronatam decurrit, auctior, iam alteram sui partem Dorolsheimio, ad D. Iaonnis vetus domicilium transmittit; indeque ad Altorffiani Cœnobij tum religiosâ Diui Benedicti disciplinâ, tùm S. Cyriaci Martyris patrocinio, prodigiisq; inclyti, marginem, sinistrorsum procurrentem, ac iure postliminii recuperatam deuorat, mox Holtzheimium prætergressus, tandem Argentorati per multiplices sinuum ambages, flexusque, in Rhenum curuicursor euadit. Iisdem Vosagi iugis scaturiginem suam debet, *Sorna*, qui longè ab Dagsburgensi arce, peruetere Comitum eiusdem appellationis

domi-

Ergers-heim. Kraut. Ergers-heim. Scheer. Dâbach. S. Luden. Andlaw. Magell. Rosheim. *Brusca.* Mols-heim. Dagstein. *Mossa*, vulgò Moßigh. Dorols-heim. Altorff. Sorna. Dags-burgh.

domicilio, aſſurgens, per Tabernas Alſatiorum, plerumque hibernam Sereniſſimi Archiducis Leopoldi ſtationem. ſupra Weiſſenauiam, Zinzelij; infra verò Mosbaci confluentibus ſociatus; atque Hochfeldiam primum, deinde ad Breucomagum ſemet applicans, poſt aquarum inter vicina arboreta diuortium; hinc Offendorffij, infra Wanzenauiam, inde longiuſculè prouectus, per Druſenheimij pontem ſtratum, ſilenter infra Argentinam Rheno confunditur. Omninò pari cum Sorna exitu *Matra* (ſic enim *Moderum* vulgò dictum placuit Geweilerio indigitare) Hinſpurgi exortus, ac compluribus interea loci exaggeratis, congeſtiſquè fontibus, Pfaffenhouium deuolutus, tum Neoburgenſe Diui Bernardi legibus inſigne Cœnobium complexu ſuo ambiens; indeque Luterbaco, Winſterbaco, & Falckenſteinibaco, aliiſque amnibus ſe agminatim infundentibus, Hagenoam, Imperij Cameram, init. Longulè abhinc, propinquam *Foreſtam*, quam ab veterum Aſcetarum frequentia *Sanctam* vulgò nominant, *Sura*, interlabitur; à quo *Suraburgum* ex vetuſtiſſimo Dagobertinæ & Sigebertinæ pietatis Monaſterio nunc Canonicorum Collegium; mox Regiopontanum, laudatiſſimi ob ſingularem bello ruſticano conſtantiam nominis Parthenecion placido curſu præteruectus, deniquepontem Benheimenſem indignatus, in Rhenum ſe præcipitat. Cui *Selsbacus* vicinus, fontem Gersdorffio, riuulis autem multifariam hinc atque hinc affluentibus, amplitudinem, quam habet, & perennitatem acceptam refert. Hic *Saletioni* quondam Romanorum ſtatiuis atque antiquitate, poſtea etiam Diuæ Adelhaidæ Otenis Magni Cæſaris magnæ ſanctæque Coniugis munificentiſſimo quondam Parthenóne nobili, ac murato oppido nomen ſuum relinquit; ſed illum modico poſtea

Wanze- naw. Druſen- heim. Madra ſ. Moder. Hagenaw. Heilige- forſt. Sura. Surburg Königs- brück. Selsbach Selz.

inter-

interuallo Rhenus absorbet. Denique *Lutera* amnis ex iam sæpe repetitis Vosagi montibus per *VVeissenburgum*, Imperiale oppidum, DAGOBERTI item nostri beneficentiâ eximium, pererrans, transito *Lauterburgo*, Rhenum illabitur. Atque hi potissimum Alsatici fontes, amnesque Vosago se primordia debere agnoscunt. de quo non ignobilem Vatem Vogesigenam canentem audire fuerit precium operæ. | Luter. Weissenburgh.

MONS VOGESVS *sumit Rheticis ex Alpibus ortum,*
Et viridi costâ te quoque Treuir adit.
Gallica Teutonicis qui separat arua colonis,
Et Mediomatricæ mox videt vrbis agros.
ODILIA *in summo requiescit vertice montis,*
ODILIA *Alsatici gloria, lausq; soli.*

Iam alios vix dispari nobilitate trans Rhenum amnes duntaxat nominasse, fastidij metu, sufficiat. *Elzium* prope *Kentzingam* ad ripas *Capellæ*. *Ettenbacum*, inde *Schuteram*, *Gengenbacum*, *Rintzigium*, *Renshemium*; quorum plerisque vocabulis apud vetustissimos scriptores haud ita cognitis, hodie præclara atque numerosa eius regionis oppida, Cænobiaque & pagi illustrantur. Omnium vero fluminum Alsaticorum princeps ILLVS, olim *Elli*, alias *Alsæ* nomenclaturâ, vnus maximè celebratur; quique ditioni *Alsatiæ*, siue *Elisatij* nomē peperit, vti quam vniuersam ferè præ cæteris permeat; primam scaturiginem in Sundgouia, (qui antiquitus Sequanorum ager erat) propter oppidum *Altkirchium* nactus. dehinc post aditos ad *Hundisbaci* confluentes, *Diui Morandi* magna quondam celebritatis Abbatiæ, extremos limites, perque ambiguos riparum flexus, præcipuis aliquot ciuitatibus, *Mulhusio*, *Ensisheimio*, *Colmaria*, *Selestadio*, ex interuallo salutatis, vicinosque fontes enixus; (posteaquam *Apri Monasterium*, hodie inclyta secundum Diui Benedict.

Elz. Kentzinge. ILLVS f. *Ellus.* S. Morandt. Ebersheim Münster.

leges familiâ ſpectatiſſimum,eo loco,vbi quondam Romanis rerum dominis, veterum Tribocorum ſuperſtitione infame *Nouientum* ſteterat, ambitu ſuo comprehendit) per Alſatienſem agrum, ſiluamque ſibi cognominem, tacitus *Benfeldam* adrepit. exin,tenore curſus nuſquam euariato, *Ernſteinium* prætergreſſus, *Argentinam* ad nobiliſſimam olim *Tribocorum*,nunc *Alſatarum*, atque totius Diœceſeos Metropolim,contendit. vbi receptis iam omnibus riuulis è Vogeſo, vti commemoratum fuit, emanantibus, coniunctiſque cum *Bruſcha* labris,amiſſâ nominis famâ, in Rhenum ſe maiorem euoluitur. Porro,vt limites ALSATIÆ vniuerſim,ac velut in tranſcurſu attingamus; illi ad *Orientem* Rhenus cum ſilua Martiana obiacet. *à Meridie*,monte Iurano & Heluetia clauditur. *ad Occaſum* Vogeſo ſaltu. *ad Septemtrionem* olim Geldriæ ac Menapiorum Ducatibus, hodie Nemetum ditione ad Saletionem terminatur. Eandemque propè vniuerſam olim Romani Magiſtratus,vt primum, Arioniſto per Iulium Cæſarem deuicto, cæſoque (quem Triboces cum finitimis populis adiuuerant) in eorum deinde ditionem venit, bipartitò diremerunt; & partim TRACTVM ARGENTORATENSEM dixere,qui tractus, vt ex notitia Romani Imperij perſpicuum eſt,ſuum *Tribone* COMITEM habebat ſub diſpoſitione VIRI ILLVSTRIS, MAGISTRI Peditum,PRÆSENTALIS GERMANIÆ. partim,(vbi nunc Alſatia Superior eſt) SEQVANICÆ PROVINCIÆ TRACTVM nuncupabant, & à SEQVANICI LIMITIS DVCE, ſub PRÆSIDE MAXIMÆ Sequanorum, gubernabatur. vterque autem VIRO ILLVSTRI PRÆFECTO PRÆTORIO GALLIARVM parebat. Sed & complura Romanis militibus,per inferiorem Alſatiam,ad tuendos Rheni limites, hoſtemque

al. *Nouientum.*

Benfeldt

Erenſtein

Straßburgh.

ALSATIAE *limites.*

MAGISTRATVS *ſub Romanis*,

arcendum,

arcendum, ſtatiua fuiſſe, vetuſtis Scriptorum monimentis doceri poteſt: vt *Elli Tribocorum* (de quo in S. Materni vita) *Breucomagi* vico, quem vulgo Broumat nunc appellamus; *Saletione*, oppido, quod ſecundo ab Argentinâ lapide, Rheno adiacet, vbi Pacenſium; *Tabernis Alſaticis*, vbi Menapiorum militum Præfecti agebant. quoad temporibus Valentiniani Auguſti, quod iam antea ſignificauimus, collabante Occidentis Imperio, Franci Romanis primum; poſtea Alemanis, ſubciſiuis temporibus profligatis, per geminas Merouingorum & Carolingorum familias regna ſua in *Comitatus* tributa per Regij ſanguinis Proceres, ceu prouinciarum Præfectos, *Comitum* appellatione inſignitos, adminiſtrarent. Cuius, qui remotiſſimè accerſunt, Clodouæum Magnum, alij numero potiores Clotarium II, DAGOBERTI noſtri parentem, autorem fuiſſe perhibent. vti qui ſub annũ reſtitutæ per Chriſtũ ſalutis DCXIIX, regni ſui xxx. Auſtraſiano, & Burgundionum ſceptro auctus, trium regnorum ampliſſimorum tertius poſt Clodouæum I. Monarcha, cum ſe vnum tot, tantiſque ditionibus fructuoſè regendis imparem cerneret, certos limites, Comitatibus diſtinctos, conſangineis, agnatiſque de vetuſtâ Francorum proſapiâ, beneficiario iure diſpertijt. atque *Guarnerio* Maiore Domus inſtituto, *Herponi* Burgundiones, *Radoni* Auſtraſios, eos, qui hodie Lotharingicæ ditionit ſunt, *Genebaldo* Maguntiacos, Vangiones, Nemetes, finitimoſque populos, *Pipino* Anſegiſi Brabantiæ Ducis filio Tungros, *Sigeberto* exuli, de quo mox erit amplior dicendi campus, Alſatas, Rauracos, Heluetios, cęteroſque ad Rheni oſtia populos commiſit. Ex quo tempore Alſatia noſtra in Comitatum Prouincialem, quem hodie *Landgrauiatum* appellamus, primò dum emerſit. Interim ſe hic Auguſtum

Statiua Romanorum in Alſatia. Ell. Brumat. Selß. Zabern.

Sub Francis.

ALSATIAE Landgrauiatus primordia. Hodierni Magistratus.

HABSPVRGIACORVM stemma hæreditariâ *superioris Alsatiæ* Landgrauiatûs prærogatiuâ conspicuum aperit. Enimuerò postquam vniuersa Alsatia in superam inferamque dissecta fuit, illa Serenissimis Austriæ Archiducis cessit, quod ab Alberto Habspurgico, Rudolphi I. Parēte, annum circiter MCC. in seros deinceps posteros manasse perhibent. Hæc à proprij nominis Alsaticis Landgrauiis gubernata, tandemque in Comites Oetinganos deuoluta, per Ioannem Liechtenbergium, Laudatissimum Argentinensis Ecclesiæ Antistitem, maximo ære postliminij iure redempta, & Diœcesi annexa, in hanc diem eundē Antistitem suum & Landgrauium agnoscit. Vtraque verò in Satrapias tributa, accisaque, tum S. Cæs. Maiestatis, & Serenissimorū Austriæ Archiducum (quorum Dicasterium Ensisheimij iam inde à Ferdinandi I. temporibus constitutum floret) tum Argentinensis & Basileēnsis Antistitum placito administratur. quas Satrapias viri vel antiquâ nobilitate conspicui, vel meritis in rempubl. & expertæ fidei erga Principes obsequelis probati obtinent, vel denique olim maioribus virtutis ergò impertitas, acceptasque iure beneficiario ad posteros transmittunt. In his longè aliis per Alsatiam nostram antistant *Comes Hanouiensis*, & *Dominus Rappolsteinius* magnarum per Alsatiam opum & regionum potentes. Illud etiam eximij splendoris Alsatiæ accedit, denas per Alsatiam vrbes in hanc diem perpetuare, maximis olim per Imperatores priuilegijs, commodisque instructas, nec nisi Præsidibus ex Serenissimâ Domo Austriâ per Augustum Cæsarem destinatis, qui eos in officio coutineant, gubernari solitas. quod ad Henricum cognomento Sanctum complures; at, qui altiùs repetunt, ad Ottonem, cui Magni agnomen fuit; alij ad alios referre consueuerunt. Sacrum vero

Vrbes Alsatiæ Imperiales.

ALSATIAE

ius tota, quam latè patet, Alſatia per geminos Præſules, eoſdemque S. R. I. Principes accipit. Nam Rauracis, Sequanisque ciſmontanis à Vocetio monte ad vſque riuum *Eckenbacum*, Sequanorum veterum à Tribocis diſterminatorem, qui vno ſupra Seleſtadium lapide profluit, *Baſileenſis* ſub Archiepiſcopo Veſontino; inde Saletionem vſque longiſſimo excurſu Argentinenſis Præſul, DAGOBERTO Fundatore præeſt, & Moguntiacenſem Metropolitanum obſeruat. Neque vetabit quod ad ſingularem huius Dioceſeos dignitatem facit plurimum, & nec publicæ fidei, nec priuatæ Eccleſiæ Argentinenſis monimenta ſilent, commemorare. Ex Ducum & Comitum S.R.I. proſapia, Aduocatos, Camerarios, Pincernas, Dapiferos, Mariſalcos extitiſſe, quibus ex Sueuiæ Ducum, Superioris inferioriſque Alſatiæ Landgrauiorum, Comitumque olim, nunc Ducum Wirtenbergicorum generoſiſſima propagine, Argentinenſi Præſuli addictæ, florente reipub. & religionis ſtatu ſolemne fuit, Antiſtiti bello ac pace ad arma vel obſequia miniſterij cauſſâ aſſiſtere, eidemque beneficiario iure obnoxios ſe fateri. quibus ſiue longè abſentibus, ſiue quâ aliâ cauſâ diſtentis, ſuccenturiat, aderant ex equeſtri nobilitate Waſſenbergicorum, Wolffgangeſheimenſium, Waſſelnheimenſium, Hohenſteiniano-Waſſelerorum, & Ratſambauſianorum ſtirpes; quarum pleræque vna cum veteris obſequelæ iuribus ferè iam exoleuerunt. Nec facilè literis aſſequar, quanto dignitatis faſtigio, præter *Vicariorũ, Deputatorum*, & cæteri Cleri ordinē (qui ex viris vel nobilitate generis, vel doctrinâ eminentibus veteri inſtituto conſtabat) Hierarchiam Argentinenſis Eccleſiæ remp. condecoret CATHEDRALE principalis Baſilicæ COLLEGIVM, olim XXIIII. Virûm Ducalis ac Comitiuæ dignitatis fre-

Sacra iuriſdictio.

Der Bisʒbergh.

ARGENT. *Diœceſis ſplendor.*

CAPITVLVM CATHEDRALE.

quentia & splendore spectatissimum. In quo à primis Conditorum exordiis, ad hanc diem, non nisi Illustria & Generosa probatissimæ, vetustissimæque prosapiæ Ducum, Comitum, ac Baronum stemmata, regendo dirigendoque tum sui Ordinis cætui, tum vniuerso Diœceseos populo, in partem laboris Antistiti veniunt, & tamquam sidera Solem suum circumstant. In his primorum instar antecellunt, PRÆPOSITVS, DECANVS, CAMERARIVS, & qui similibus, ex maiorum disciplinâ, officiis, muneribusque effulgent. eamque & amplitudine muneris, & excellentium virtutum meritis prærogatiuam cum paucis merûere, Summorum Pontificum decretis stabilitam, vt amplissimum Purpuratorum Patrum Senatum (quo post summum Ecclesiæ caput nihil in Ecclesiastica Hierarchia habet Orbis terrarum augustius) habitu cultuq; & colore repræsentent. Quas ob res, sicut vnaquælibet cæterarum ad Rheni ripam Ecclesiarum suum honoris titulum habet; sic ARGENTORATENSIS excellens NOBILISSIMÆ præconium, quod auorum temporibus retulit, etiamnum conseruat. Iam REGALIA iura, vt vocant, omnem in partem latissimè fusa, non attingo. quibus, si vetustiora præsertim repetamus, Imperatorum Regumque, ac nominatim DAGOBERTI Fundatoris, tum HENRICI Sancti, restauratoris, Caroli IV. & aliorum piâ munificentiâ, vt quisquam alius in Imperio Princeps, ita Ecclesiæ Argentinensis Antistes fuit conspicuus. Atque hoc à nobis, quod nostræ opis erat, amoris pignus ALSATIA habeat. neque enim fas fuit, in quâ viuimus, & hæc scribimus patriâ, eius nomen, laudesque reticeri. Lector, pio, vt speramus, studio veniam dabit, si tantisper institutæ narrationis cursum, prælibatâ regionum, quas à DAGOBERTO gubernatas constat, topothesiâ, in-

Eius Maiestas.

Ecclesia ARGENTINENSIS *cur* NOBILISSIMA.
CVRIA *Summa.*
CONSTANTIA, *amplissima*
BASILEA, *amœnissima*
SPIRA, *religiosissima, &c.*
Eius Regalia.

hibuimus. Quæ vtinam è Claudij Ptolemæi relictis tabulis certa, vbique constaret, nec prisca locorum symbola cum nominibus tanto flexu euariassent. facilius quidem in publicum tàm regionum, quàm factorum historiam probaremus; qui nunc sæpenumero in tantis sententiarum diffidijs ad probioris notæ coniecturas duntaxat adhærescimus.

NOTA.

De veterum TRIBOCORVM deductâ in Alsatiam coloniâ, & Sacrâ ditione.

TRIBOCES (quos à tribus fagis in gentilitiâ superstitione olim impensè atque ambitiosè cultis denominant, q. *Tribuchos* diceres;) origine Germanos, relicto natali solo, Rhenoque transito, domicilia posuisse, qua Sequani & Mediomatrici Rhenum attingebant, autor est Strabo. & Mediomatricorum olim finibus Rhenum prætextum ex Cæsare liquet. Quin etiàm Leuci siue Tullenses in collimitio primæ Germaniæ olim considebant, si suo Ammiano fides est. Quod tunc factum oportuit, cum cæsis fugatisque Alemanis, eâ regione imperitarunt Romani, vbi postea in Germaniâ primâ, *Tractus Argentoratensis*, de quo diximus, ostensus est. Atque hinc sunt, qui tradant, Episcopalem Mediomatricorum iurisdictionem in Argentoratensem vsque agrum excurrisse, priusquam Argentorati per DAGOBERTVM cathedra erigeretur. Quod nascentis Alsatiorum Ecclesiæ primordiis satis est consentaneum; queîs Treuerici Primates, iidemq; Alsatarum Apostoli *Eucharius, Valerius, & Maternus* ad Christi nomen & religionem inserendam operam nauarunt. A quibus, vti Belgicæ vniuersæ (cui id temporis Alsatia accensebatur,) Antistitibus, hęc Iurisdictionis autoritas manasse potuit. Verum ista in primis Alsatiæ Apostolis quandoque commodiùs edisserentur. Ad *Alsatia* quoque finitima, imò pænè intima referas licet, tellurem *Ripuariam*, à tribus fluminum, Bliessæ, Mosellæ, ac Saræ, ripis, quibus clauditur, denominatam; quorum accolæ interiores, quodam velut trigono conclusi *Ripuarienses* dicti, eos ferè comprehendunt, quos vulgus hodie *Austra-*

Cæs. l. 4. belli Gall. Strabo l. 4. Geogr. Ammian. l. 15. Vide B. Rhenan. l. 1. rerum Germ. in Tractu Argent.

Alsatia ad Ripuariam attinet.

Iacob Spiegel. in Ligur. Rob. Cænal l. 2. rei Gall. vide Car. Magni Cōst. cum Not. Amersbac.

sios

sios & *VVesterichios*, siue Neustrios appellat. Vnde *Lex Ripuariensis* manauit, Caroli Magni constitutionibus notissima, quod ad Ripuarios potissimum spectaret.

Caput Quintum.

DAGOBERTI Magni Maiores, Ataui, Abaui, Auiq; Francorum REGES.

Greg. Tur. l. 2. hist. Fr. c. 2. & l. 6. c. 24 & l. 8. Tornand. de reb. Geth. Paul. Diac. l 15. Chron. Cassiod. Aimoin. lib. 1. de gestis Franc. c. 4. Ammian. Marcell. l. 15. Bellefor. in annal. Frãc. l 1, c. 16. Hotoman. in Francog. c. 8. IacobMeier l. 1. ann. Flandr. FRANCORVM REGES. I. PHARAMVNDVS

IAM vt à primis Franciæ Regum temporibus ad DAGOBERTI parentes narrationis series progrediatur, illustrem Francorum Monarchiam regiæ dotestatis titulo decoratam, PHARAMVNDVS Marcomiri Ducis Filius, Marcomiri Frater, ex communi Procerum & prouinciarũ voto auspicatus est, anno, vt præcipuâ eruditione viri numerant, ab Orbe creato quater millesimo octogesimo primo supra trecentesimum; Verbi Incarnati Vndeuigesimo supra quinquagesimum, Olympiade ducentesima nonagesimâ octauâ, cum quinquagesimnm ætatis annum expleret. dies signatur IX. Kalend. Sextilium, quo Wirceburgi Orientalis Franciæ Metropoli, Salgasti Pontificis Iouij cæterorumque Druidum auspicijs, diadema suscepit; plurimis, difficillimisque aduersos Vandalos & circumsitos hostes prælijs inclytus; quibus, Mosellanicâ regione capta, vastataque Treuirorum Augustâ, feliciter perfunctus, iam regni, suorumq; benefactorum securus, sub annum tertium Quatuoruiris legum condendarum ab se dilectis, illud negocij dedit, vt edito legalium Constitutionum volumine, Francum populum, etiamtum moribus incultum, animisque ferocem, legibus infrænarent.

rent. ex quo LEGVM SALICARVM parens atque autor habetur. Quas sic appellari contendunt, vel à *Sala* Salingorum amne, qui ad vicum *Salam* exortus, proximè Gemundam se Rheno commiscet; suique nominis appellationem Saligonstadio, oppido ad Mœni ripam à Sicambris, post fastiditas maritimas oras, condito, atque eiusdē postea sub annum recuperati orbis DCCCXXII. nominis celebri Cænobio, per Eginhardum Caroli Magni generum constituto, indidit. vel si mauelis, à *Saliys*, qui ad aquas Sextias, eam regionem, quæ Ligurum est, incolunt; vel, vt alij, à *Saligasto*, Francicorum Sapientum ac Procerum, quos mox laudauimns, antesignano, regiaque stirpe oriundo; vel, quod vero propius arbitror, à *Sala* dictione Francâ, quæ Aulam non Francico tantùm; sed & Germanico idiomate designat: vt *Salicam* quasi *aulicam*, palatinamue dixerint. Nam & hodie *Salici Clientes*, qui ad aulam pertinent, eidémque obnoxij sunt, *Salicus Codex*, & vernacula nostra Saalbuch, in quem prædia, vectigalesque Principum ac Procerum redditus referuntur, in vsu sunt. Porro Salicis legibus præter alia, quibus destinatò abstinemus, in Franciâ perpetuò cautum, obseruatumque est, *ne* vel regni successio, vel *terra Salica* (quam veterum parchartis, nonnunquam *Dominicatam* appellari comperior) id est, quidquid Francicæ Monarchiæ sceptro adnexum est, *ad colum transeat*. id quod deinceps Imperialibus Augustorum rescriptis in feuda per Imperium, quæ beneficiario iure ab Vasallis obtinentur, translatum norunt IureConsulti. Cæterùm Pharamundus, cum alijs virtutum monimentis, tum inuecti in eam gentem Regij principatus laude immortalis, *Franckenburgi*, in ediossimis Vosagi iugis, si autoribus certa fides constat, tumulum accepit. Cui

Leges Salicæ.

Seligenstadt.

Sigeb. ann. 422. Otto Frising l. 4. c. pen. Ado Vien. Chron. æt. 6.

Papon. I. C. Arest. l. 4. c. 1. vid. cap. de Alod. c. 62. Iustin. Imp. edict. 3.

Idac. l. 3 hist. Goth.

II. Clodio. Claudian. l. 2. in Rufin.

à Clodione, siue Claudio Filio successum est, anno post Christi natalem CCCCXXIIX. qui ab cæsarie in humeros profluente *Comati* cognomentum tulit, more Galliarum primoribus iamtum vsitato, vnde apud eosdem *ius regalis capillitij* manauit. quod in Panegyrico Claudianus poëta non siluit, apud quem memoratur

flaua repexo
Gallia crine ferox, euinctaq́; torque decoro.

Aimoin. l. cit. Agath. l. 1. de bello Got. Papir. Masson. in annal. Franc. Aimoin. l. 1. de reb. Fr. Munst l. 3. Cosmogr.

Originem crinitæ Gentis Francicæ inde referunt, vel vt se non teneri adstruerent edicto Cæsaris, quo bello subacti crinem succidere, ad seruitutis insigne, iubebantur, vel vt Franci ab cæteris gentibus iam deuictis, ideoq; comã submittere iussis dignoscerentur. Certè Adonem testem habeo, ductu auspiciisque Clodionis, in finibus Thuringorum Crinitos Reges è Francis haberi cœptos; quorum ea esset reuerentia, vt capillos tetigisse, fuerit apud Idacium, solemni iureiurando se adstringere. Nam Alaricum Gothicum, pacem cum Clodouço firmantem, loco iuramenti barbam Clodouæi attigisse, idemque de Francis Reges in Sicambriâ dicentibus Gregorius Turonicus asserit, & nos infra differemus. Interea loci Clodius primitias belli exhibiturus, accensis militum studiis, cum Romani Imperij vires assiduis Gothorum incursibus attritas cerneret, ratus in eâ rerum colluuione atque Imperij ruinâ commodam sibi offerri regni proferendi occasionem, Thuringos inprimis fædifragos bello reos peregit, vt vectigales fierent, qui socij manere renuerant, regni sede Duisburgi Angrã inter & Roram amnes ad Rheni ripam collocatâ. Inde Rheno Mosaque transmissis, ac siluam carbonariam penetrans, Neruijs nequidquam obnitentibus, Romanis cæsis, captisque, insuper Bassino Mosellanico Duce interempto, Treuiros

iterum

iterum rebelles, Argentoratenſes, Mediomatricos, Leucos in poteſtatem redegit. dehinc ſpe longiùs promota, poſt Cameracum, Tornacum, Hannonios, aliaſque ad Scaldim & Somnam nationes in poteſtatem redactas, denique Toloſam mouens vniuerſam ferè Aquitaniam domuit. Tandem expleto ſeptimodecimo Regni anno hominem exuit, anno Chriſtiano duode quinquageſimo ſupra quadringenteſimum. Nec tacite prætereundum, iuxta Waiblingam Wittembergicæ ditionis, in pago peruetéri Bernſteiniano, ſæculo proximè ſuperiore ſuperſtes manſiſſe monimentum, viſendi & vetuſti operis, ſecto ac quadro lapide, cum iſtiuſmodi epigrapha ; CLODIVS HOC FECIT VXORI SVÆ: vt vel hinc colligas, Thuringos, Saxonas, Alemanos, in Francorum id temporis ditione fuiſſe. Cæterum, Clodius Regnum tot ditionibus auctum MEROVÆO agnato, an filio? (nam Auctores variant) conſignat, qui *Audacis* cognomentum tulit; quod inuicti animi robore grauiſſimis bellis interfuiſſet: quorum famoſiſſimum fuit, quod cóntra Hunnos Duce Attila, homine ad exitium Imperii nato, quingentis Barbarorum millibus in campum eductis, & ceu turbine quodam barbaricæ irruptionis Europam igne, ferro, ac direptione vaſtantibus geſtum eſt. Siquidem euerſa exciſaque Agrippinenſium vrbe, *ceu flumine quodam*, vt Paulus Diaconus loquitur, vaſtitatem in Belgicam ſecundam circumferens, Tricaſſes, cæteraſque Galliarum vrbes, Aurelianum vſq; cædibus, incendiis, ac lachrymabili exitio, luctuque compleuit. Quarum rerum narratione perculſus Merouæus, verituſque, ne hoc incendium Franciam vniuerſam cum Aquitania inuolueret, pulcherrimo fœdere Theodoredi Wiſegothorum Regis, & Aëtij Romanorum Ducis (quem Valentinianus Auguſtus Magi-

al. Theodorici.

expeditio in Attilam.

ſtrum Equitum dixerat) copijs opibuſque adunatis; cum Attila, quem in campos Cathalaunicos Toloſæ vicinos auerſum ierant, ſub annum ſalutis quinquageſimum ſupra quadringenteſimum, vt D. Hieronymus teſtis eſt, conflixit: Vbi in magna pugnę varietate, tanta animorum pertinacia vtrimque certatum eſt, vt centum ſexaginta hominum millia vtrobique cecidiſſe memoriæ prodant, præter alia nonaginta millia Gepidarum & Francorum, qui præuia nocte mutuis vulneribus corruêre. Attila vero Gallorum Gothorumque impetu fuſus, ac velut panico terrore turbatus, cum reliquiis copiarum, furoris atq; ignominiæ plenus, Gallicanis finibus excedens, in Hungariam reuertit. Cuius deinde retrocedentis veſtigia legens Aëtius ſuorum ac Francorum manu ſtipatus, vltra limitem Latialem, vnde hoſtis venerat, quaque Thuringia patet, eum lento agmine inſecutus eſt; ignibus è longinquo ad faciendum terrorem, & maioris exercitus ſpeciem, excitatis, quò conſilium reditus eriperet. Interea hoc nobiliſſimi belli euentu animoſior Merouæus, Pariſios, Senonas, cæteramque Galliæ Neuſtriæ oram ad deditionis neceſſitatem ſine ſanguine compulſam occupat; & Regni ſedem ad Axonam Galliæ Belgicæ amnem, Rheno tranſito, figens, Gallicanis prouinciis ſuum cum imperio nomen impoſuit; vt ex eo tempore Gallia mutato natiuo nomine *Franciæ* appellationem acceperit. Eademque Merouingorum appellatione prima Francicorum Regum generatio indigitata eſt, quæ ad Pipinum vſque Breuem duos ſupra viginti Reges per annos CCLXXXIII. enumerat. Sub eodem Merouæo S. VRSVLA Virgo Britannica multarum Sodalium comitatu (vndecim millia exprimunt.) ab Hunnis, vbique innatæ ſæuitiæ veſtigia figentibus, forti animo pro

Idacius in Chron.

Sigon. ad ann 449. al. 453.

S. Vrſulæ & Sodaliũ Virg. Martyrium.

fide,

fide, sexum supergressa, barbarica tela excepit. neque Vbios tantum (quod veterum monumentorum fides & omnis horum locorum traditio tenet sed & Alsatiam nostram superam, inferamque (prout in S. AVRELIA Argentinensi, *Querela* Wissenburgica, *Candida*, & *Florina* Friburgensibus in Brisgoia, Christiana *Cunigunda*, & Sodalibus Basiliensibus quandoque commemorabimus) felicis patrocinij immortalitate consecrauit. Merouæum anno Salutiferi partus CCCCLIIX. Regni X. vita functum, (quem tamen nonnulli cum Gundiocho Burgundo, & Theoderico Visigothico Regibus in conflictu Catalaunico interemptum memorant.) CHILDERICVS id nominis I. Merouæi ex Werica Gontrandi Sueuorum Regis Filia soboles, DAGOBERTI Magni *Atauus* excepit, qui formæ ac morum elegantiam, cæterasque naturæ dotes ad vagam fœdamque libidinem (cui ad insaniam deuinctus erat) turpiter abusus, cum ad totius vitæ procacitatem, crudelitatem coniungeret, tantum populi & procerum odium conciliauit, vt Regno pulsus, amico Viridomari (quem alij Guinomaldum vocant) consilio vsus in Thulingiam ad Bissinum Thulingorum Regulum profugerit; Ægidio Suessionum Duce Regni gubernacula interim moderante. Verum, cum & hic impotenti naturæ frenos laxaret, quod semper in summa potestate exitio fuit, insuper Francum populum iniustis exactionibus premeret, odium gentis, & ex odio inuidiam contemptumque incurrit. Itaque, vt sunt multitudinis voluntates non solum mobiles; sed & vehemētes, pulso armis, sine quibus ditione cessurum diffidebant, & ad Suessiones redire coacto Ægidio, post octennalem Regni gubernationem, consilium de Childerico reuocando ceperunt, Viridomaro rem fideliter perurgente

IV. CHILDERICVS I.

Thulingi, qui nunc Lotharingi

& exequente. Per hæc tempora, Duce Saxonum Andracho cum Germanis in vicinas Galliarum prouincias irrumpente, Aurelia ex inopinato difficili obsidione implicatur. Quin & Clodionis Criniti posthuma prole Regnum auitum repetente, Franciam intestinis armis suprema ac pudenda imbecillitate laborantem, anno Regni sexto supra vigesimum, aut, quod Æmilio placuit, trigesimo, Childericus destituens, regnandi, viuendique finem fecit. A cuius obitu ad CLODOVAEVM I. Childerici ex Bassina Thuringica Filiam, Dagoberti Abauum (qui Venantio *Clodouechus*, Prospero *Clodius*, Sidonio *Clodion*, aliis *HLudus Luduinus*, & *HLudouicus* dictus fuit) Regni successio deuoluitur. Quem Principem excellentem, & in summa magnitudine animi, multa humanitate temperatum, quæq; Virtus Regum propria esse debet, præcipua benignitate in eos, quos res angustæ vexabant, bello strenuum, consilio bonum, & tum complurium Virtutum aliarum ornamentis; sed religionis in primis susceptæ, & in Franciam, nostramque Alsatiam, olim quidem per Sacratissimos Triumviros *Eucharium, Valerium, & Maternum*, ab Petro Christi Vicario submissos, infusæ, fundatæque; at per Arianam hæresin nimium quam pestilenter inualescentem, extinctæ, quadringentorum circiter annorum postliminio restauratorem, vetustis panchartis spectatissimum reperimus. Hic, Syagrio Ægidij Romani filio Suessionum Rege acerrimo paternarum cladium vindice interempto, Romanorum iugum excussit; rem communem diu inclinatam, & multis bellorum iniuriis deformatam sustinuit, Gundebaldum Burgundiæ, Basinum Thuringiæ, Alaricum II. Wisigothorum Reges debellatos regno eiecit. inde, quidquid Galliarum Wisigothi obtinuerant, cum Tolosa regni Gothici Sede ad Fran-

V. CLODOVAEVS. *Magnus.*

Ganguin. l. 1. c. 3. AEmil. l. 1. Ritius de regno Frãc. l. 1.

corum

corum ditionem, prolatis à Rheno ad Sequanam & Ligerim amnes, limitibus, transtulit. Tandem Alemanos Sedibus suis appetens, castrisque ad Tolbiacum, vulgò Zulch, (quod Coloniam inter & Marcodurum ad hanc diem non incelebre oppidum est) positis, in præcipitis Victoriæ ad hostem inclinantis aleâ, vouisse in acie dicitur, si victoria potiri contingeret, se Clotildis Coniugis Sacra (quod præstanti Virtute fæmina nequidquam antea laborarat) cum Vniuerso populo suscepturum. Nec mora. cęlesti numine, Votis piè nuncupatis annuēte, post Regem Alemanorum acie fusa Germanosque in potestatem redactos Victor redux Clodouæus, Remis, vbi eum Clodildis læta præstolabatur, D. Vedasto futuro quondam Atrebatēsium Præsule, Regem prius sacræ fidei initiamētis imbuente, lustrali baptismatis lauacro per B. Remigium Remorum Antistitem, cum tribus non infimæ nobilitatis Candidatorum millibus ablutus est: quem Sacro fonti insistentem Sanctus Pontifex è Sicambrorum gente oriundum denotans, alloqutus fertur;

Victoria Tolbiaca.

Clodouæus baptismum suscipit.

Greg. Turon. l. 2. c. 31

Belfor. l. 1. c. 12.

Forcat. de Phil. & imp Fr. l. 6.

Til. l. 1. rerū Gall.

mitis depone colla Sicamber.

Porro huius tam egregii facinoris memoriam tribus maximè portentis apud seros posteros Deus vigere voluit. Primum *Auriflammulâ*, labarum, id est, trium liliorum insigni in cærulo campo decoratum, quod tribus bufonibus, antea Regum Franciæ gentilitijs notis, quibus se Mæotide palude antiquitùs oriundos notasse suspicor, melioribus auspiciis successit. quo etiam vexilli loco in difficillimis quibusque expeditionibus, nec nisi secundissimo euentu, posteri Reges vsi sunt. Alterum *Strumarum* Regiæ manus attactu *curatio*: quod morbi genus primum Clodouæus in Laniceto fidissimo armigero dispulit, potestate deinceps ad seros Re-

Regum Franciæ cælestes prærogatiuæ.

gni

gni Gallicani hæredes transmissa. quam eandem Eduardo Angliæ Regi concessam Polydorus asserit. denique cum vel ministrorum incuriâ, vel Dei prouisu Sacrum oleum, quo Christianos recens baptismo lustratos illinere mos est, abesset; columba de superis *odoratissimi liquoris ampullam* ad manus Pontificis detulit, quo primum Clodouæus, cæterique ad hanc diem Francorum Reges delibuti consecrantur. illudque *miraculum dignum temporibus Apostolorum* Hormisdas Pontifex Maximus pronunciauit. Tantis rebus perfectis, Regem pace belloque insuper religionis studio nobilissimum, & fidei per Gallias Architectum mors oppressit, anno Christi quartodecimo supra quingentesimum, susceptæ fidei quintodecimo, Regni trigesimo, Vitæ XLV. tumulum reperit Lutetiæ Parisiorum, Templo Apostolorum Principibus dicato, quod hodie titulum S. Genouefæ de monte retinet. quo etiam Clotildis, post vitam Sanctissimè obitam, Turonis è D. Martini Cænobio Lutetiam in mariti sepulcrum illata, ob vitæ Sanctimoniam inter cœlites ad diem III. Non. Iun. colitur.

Clodouæi Mors & Sepultura.

Dignus esset vtique CLODOVÆVS, quem præcipua quadam veneratione mecum prædicet colatque *Argentoratum*, vel hoc nomine, quod primus Franciæ Regum tot annorum postliminio, vna cum salutari fide Vrbi inuecta, Ædem Sacram Virgini MARIÆ veri Dei Genitrici consecrandam posuerit, dotaritq; : quod freti maiorum literis, & publicis Scriptorum monumentis, sub annum Christi DC. contigisse arbitramur.

Clodouæus Argentorati Basilicā Deiparæ Virgini collocat.

Cæterum Clodouæo mortalibus erepto, Francorum Regnum in Tetrarchias scinditur, & CHILDEBERTO ex Clotilde natu maximo Lutetiæ Parisiorum, vnaque Regij per Franciam honoris prærogatiua, *Clodomiro* Aurelianensium ditio, *Clotario* Suessiones, *Theoderico*,

VI. CHILDEBERTVS I.

Notho

Notho Mediomatrices obtigêre, fuitque id temporis cum singuli regio titulo suas quisque ditiones administraret. Interim Childebertus religiosissimi Parentis pulcra æmulatione inflammatus, inter complura immortalitatis opera, quæ Cænobiis fundandis munificè præstitit, Arelate ad Rhodanum, & D. Vincentij Lutetiæ (cuius plurimam mentionem Fortunatus Pictauiensis fecit) Sanctissimi D. Benedicti familiæ in Alsatiam nostram per Leobardum eximiæ sanctitatis virum inuectæ, Cænobiique, quod postea *Mauri Monasterij* nuncupationem tulit, autor laudatur. de quo mox amplius dicturi sumus. Eum tametsi verissimis laudibus prosequi possemus; omnium tamen instar sit hoc loco elogium, quo illum Gregorius Magnus decorauit, aitque: *sicut magna lampadis splendor in tetræ noctis obscuritate, luminis sui claritate fulgescit; ita fidei eius claritatem inter aliarum gentium obscuram perfidiam coruscasse.* Cui post regnum ipsos XLV. annos religiosissimè gubernatum, absque legitimi sanguinis hærede decedenti (nam ex Vultrogotha non nisi binas filias suscepisse, nomen vni *Crothberga*, alteri *Crothsinda*, apud Aimoinum reperi) atque in Diui Vincentij Æde ab se cum Cænobio, quod hodie, immutato nomine, D. Germani Pratensis appellationem habet, conditâ, post principem Aram funerato, CLOTARIVS id nominis primus, DAGOBERTI proauus, totius Franciæ Monarcha successit, posteaquam annos XLV. Suessiones, & Galliam Belgicam regio titulo administrasset. Cuius parricidalem aduersus Fratres animum Clodildis mater multis lacrymis dequesta, exitum vitæ luctu oppleta maturare præoptabat. interim rerum gestarum fama & bellicæ virtutis opinio, quam Gondemaro Burgundico, aliisque bellicosissimis Ducibus opprimendis exeruit,

S. Gregor. epist. ad Child. Reg.

VII. CLOTARIVS I.

adeo illum populo commendabat, vt Franciam regendam tanto gentis consensu susceperit, quanto haud quisquam alius. Nec tamen illi longior Monarchia, quam quinquennalis fuit. Eo itaque Compendij ad Axonæ & Esiæ clarissimorum amnium confluentes humanis rebus erepto sub annum Christi DLXIV. Regni Suessionum L. Monarchiæ Francorum V, atque Suessionis ad D. Medardi, cuius ædem ac Sodalitium magnis prouentibus auxerat, tumulato, Franciæ Regnum denuò in filios quadrifariam diuisum est, & *Cheribertus* Parisiis, *Chilpericus* Suessione, *Gunteramus* apud Aurelianos, *Sigebertus* Remis sedem Regni fixerunt. Fastidio sim, præterquam quod alienos labores occupem, si varietatem omnem fortunæ, aleæque bellicæ, quæ in hanc tempestatem incubuit, hic proferre instituam. Certè *Aribertum* (quem & *Cheribertum* appellauimus) DAGOBERTO nostro Magnum Patruum, Nigoberga legitima Coniuge repudiata, impuris pellicum amoribus innexum, cum promiscua libidine, immani crudelitate, & auaritiæ sordibus maiorum gloriam fœdaret, S. Germanus Parisiorum Antistes, innocentia vitæque sanctitate conspicuus, ritu Christiano execratione deuinctum, dirisque deuotum edixit. nec multo post pellicibus mortuis, velut subducto vitiorum fomite, vix dum resipiscens, vitæ & Regni cursum nulla mascula prole pater, confecit. Oppido Dolauiæ in Vasconia ad D. Romani tumulatus, locum fecit CHILPERICO id nominis I. Clotarij I. filio, DAGOBERTI Auo, cum nouem annos Suessionibus imperasset. Is à morte Cheriberti Fratris, paternis thesauris, quibus potiebatur, cæteris maior, Francorum sceptra tenuit. ex Audouera prima Coniuge, Merouæi, Sigeberti, & Childechinde (al. Childeradę) parens, exinde repudiata Audouera,

VIII. CHEREBERTVS. al. *Aribertus.*

Propter libidinem excommunicatur.

IX. CHILPERICVS. *Dagoberti Auus.*

uera, siue, vt alij memorant, demortua, Galswindam Athanagildi Gothorum Regis filiam, Brunechildæ sororem natu maximam thoro sibi iunxit. At Fredegundę impotentis & turbulentę feminæ pellicatu abreptus, eiusdem suasu illam infra pellices abiiciens Chilpericus, vix primo coniugii fructu delibato, immissis sicariis parricidali ausu vita exuit; Fredegunda, in parricidij mercedem, inauspicatas cum Chilperico nuptias paciscente. quæ res cum Sigeberto Austrasio, Chilperici fratri germano, tum aliis Regij Sanguinis agnatis exitium maturauit. nam, vt est importuna fæminarum lasciuientium rabies, illos vel immissis percussoribus obtruncauit, vel intoxicatos veneno miseris modis perdidit: vt mox copiosius in Clotario exequemur. Et sunt, qui referant, nec ab ipsomet Chilperico cruentam lupam manus abstinuisse; vita illi per sicarios ad Calam vicum adempta, haud procul Lutetia Parisiorum; cum XXIII. annos regni gubernacula tenuisset, funere in tumulum illato ad D. Germani de Pratis. cuius Mausolęum hodieque prostat, lapide cauo Regis imaginem præferente, læua barbæ, & quasi iugulo admota, eaque mortem, qua oppetijt, significari, aiunt. Ad saxi marginem, cæteris pænè obsoletis, ita distinctè legitur epigrapha; REX CHILPERICVS HOC TEGITVR LAPIDE. *Chilpericus moritur anno 588.*

NOTA.

Coniectura, cur nulli vsq; ad Clodouæum Magnum Reges Franciæ Christiani.

NE mirare, neminem vnum è Gallicanis Regibus ante Clodouæum Magnum ad Christiana Sacra respexisse, quæ tamen constat vel ab Apostolorum æuo in Gallias fuisse importata. Nam præterquam, quod ferè difficiles sint ad Aulas Principum aditus veritatis; fecit hoc Ariana lues; & quæ huic super-

uenit grauissima persecutorum immanitas. Nec me pigebit hostiles Barbarorum irruptiones compendio recensere, quæ sub primis Francorum Regibus iam recensitis, tum in Galliam, tum in has oras, Francis nequidquam se opponentibus, incubuerunt. Prima WANDALICA in ætatem Pharamundi necdum in Francia Occidentali rerum potientis incidit, sub annum Christi CCCCX. vel, vt potiores numerant, CCCCVII. Duce Croco, quem alii Carocum vocant, qui sciscitatus de Matre, quibus maximè rebus nomen suum apud posteros immortalitati consecraret, furiale responsum tulit; si magnorum operum molitiones Vrbesque magnificentissimè exstructas à fundamentis subuerteret. quod atrocis monstri dictum non surdis auribus Filius accepit. Siquidem illo ipso antesignano, Alanis Wandalisque cum varia Barbaricarum nationum colluuie permixtis Galliam occupantibus, ea tantum non funditus ad extremum excidium procubuit. Rem non minus verè quam eleganter D. Hieronymus, cuius mors in Pharamundi Regis fasces incidit; nobis testatus est; *Innumerabiles & ferocissimæ nationes vniuersas Gallias occuparunt. Quidquid inter Alpes & Pirenæum est, quod Oceano & Rheno includitur, Quadus, VVandalus, Sarmata, Alani, Gipides, Heruli, Saxones, Burgundiones, Alemani, & ô lugenda respublica! hostes Pannonij vastarunt. Etenim Assur venit cum illis. Maguntiacum, nobilis quondam ciuitas capta atque subuersa est, & in Ecclesia multa hominum millia trucidata. Vangiones longa obsidione deleti, Remorum vrbs præpotens, Ambiani, Atrebata, extremiq; hominum Morini, Tornacus, Nemete, Argentoracus, translati in Germaniam, Aquitaniæ, Nonemq; populorum, Lugdunensis & Narbonensis prouinciæ; præter paucas vrbes, populata sunt cuncta, quas & ipsas foris gladius & intus vastat fames.* Altera fuit HVNNICA, duce Attila, Virga furoris Domini, de quo supra meminimus sub Merouæo, qui, teste Gregorio Turonico, è Mediomatricum vrbe soluens (in qua miserandam stragem ediderat, ipso Paschatis peruigilio Vrbe flammis data, populo in ore gladii trucidato, Sacerdotibus Domini ante Sacrosanctas aras interemptis, templis (D. Stephani Protomartyris Oratorio dempto) concrematis, torrentis ritu, montium prærupta decurrentis; Belgicam Galliasque tanto sanguine, cæde,

[Margin notes: Prosper. in Chron. — Aimoin. l. 3. init. — Serar. rerũ Mogunt. l. 1. c. 7. — *Irruptiones VVandalicæ.* — Hier. ep. 15. ad Ageruchiam. — *Hunnica Duce Attila.* — Greg. Turõ l. 2. hist. c. 6. — Paul. Diac. l. 15. hist. Long.]

strage

ſtrage deuaſtauit, vt vix oppidum eius tempeſtatis procellam euaſerit. Rem totam proſequitur Sidonius Apollinaris, qui eam ætatem vixit, Panegyrico ad Auctum.

Subito cum rapta tumultu
Barbaries, totas in ſe transfuderat Arctos
Gallia; pugnacem Rugum comitante Gelono:
Gepida trux ſequitur; Scotum Burgundio cogit,
Chunus, Bellonotus, Neurus, Baſterna, Toringus
Bructerus, vlnoſa quem Velicer abluit vnda.
Prorumpit Francus, &c.
Et iam terrificis diffuderat Attila turmis,
In campos ſe Belga tuos, &c.

Nec aliud Genti huic immaniſſimæ fuit in Votis, quam Chriſtianos omnes, quibus erant hoſtes infeſtiſſimi, fame, ſiti, bello, tabe conficere; Religionem vero Orthodoxam procul portis & portubus omnibus profligare: quo factum eſt, vt deprauatiſſimis moribus paſſim cum barbarorum depopulatione, vt fit, inundantibus, Gallicana gens ſqualeret, & ſuis ſenſim contenta zizaniis ſilueſceret. A quibus poſtea Regnum Clodouæus repurgauit: vt hoc nomine merito illi tam Francorum, quam Alſatarum poſteritas immenſum vti diximus, debeat. Quod etiam haud longè poſt amplius repetendum eſt. Fuit & Gothica, quæ in Childerici faſces ſub annum vndeſexageſimum quarti ſæculi incidit, Genſerico Anteſignano; ſed quæ Italiam ferè & Longobardiam diuexauit. Quare neque nos illam hoc loci attingimus.

Caput Sextum.

DIGRESSIO ad monaſteriorum SECKINGENSIS ſub CLODOVÆO Magno, & MAVRIMONASTERIENSIS ſub CHILDEBERTO Clodouæi Magni Filio, primordia.

POST ſalutiferum Chriſti natalem, Monaſtices inſtitutum, quod in toto Oriente vel præcipuo ſtudio iam inde à temporibus Apoſtolorum excultum, totaque paſſim Syria, Ægypto, atque Thebaide feliciter propagatum priſci ſcriptores meminerunt; ſerius in Occidentem, adeoque in Auſtraſiam, & hanc noſtram Alſatiam, non niſi poſt Conſtantini Magni ætatem, & maxime poſt exortas in Oriente hæreſes, pietate, vt fit, inibi iam obſoleſcente, penetrauit. Nam vt probatiſsimus quiſque veterum, βίον Ασκητικὸν καὶ Θεωρητικὸν laudibus extollit apud Philonem, & alios; ita Dionyſio Areopagitæ, & Euſebio familiare fuit, Monachos *Therapeutas* & Baſilio, Nilo, Marco, Ephremo, cæteriſque Monachorum Primiceriis *Aſcetas* nuncupare, ſiue communem illi vitã & Cœnobiticam, ſiue ſolitariam degerent. At ſub quinti ſæculi ortum, cum Regibus & populis Franciæ Auſtraſiæque ſalutifera Chriſti fide imbutis atque confirmatis, noua fax Orbi Occiduo illuxit, Cœnobitarum *nigri*, vt appellabantur, Ordinis Patriarcha *gratia & nomine* BENEDICTO, vt S. Gregorius loquitur, iam tum in Italia effloreſcente, & felices quaquauerſum deducente colonias. Hic quippe Sublaci ſub Romano Abbate religioſæ vitę rudimentis egregiè perfunctus, anno ſalutari DXX. Caſsinum

Vid. Anton in ſpec. tit. 15. c. 19.

Vitam actiuam, & contemplatiuam.

Greg. l. 2. dial. c. 1.

montem nouis sanctæ seueritatis, & asceticæ disciplinæ præceptis excolere cœpit, vt ex illo de BENEDICTI pectore, *non tantum Monastici ordinis veneranda religio, quasi de Paradisi fonte emanaret*, quod Vrbanus II. monet; sed etiam pro vniuersis *Christiani Orbis Monasteriis viri sanctitate atque doctrina conspicui magna numerositate ad S. Romanæ Ecclesiæ regimen adsciscerentur*, vt planè Illustrissimi Annalium Ecclesiasticorum Scriptoris testimonio, cuius verba proferimus, *dici possit, fuisse idem Sacrorum Antistitum seminarium.* Mox vno quasi momento per Italiam XII. omnino Cænobiis eiusdem Instituti positis, felici propagatione, diffusa est Magni Patris disciplina. At postquam Alumnis suis iam tunc leges condidisset, scripsissetque regulam, vt verbis dicam Magni Gregorij, *discretione præcipuam, sermone luculentam*; vtque S. Hildegardis ait, *Sanctus & spiritalibus viris sancto Spiritu docente atque ostendente accommodatam*, Mauro, Faustoque discipulis in Italiam, Galliam, atque Germaniam, sub Childeberto id nominis I. Fancorum Rege; Placido in Siciliam dimissis, tantos tamque luculentos mox ille omnem in partem religiosæ pietatis ramos diffudit, vt, quemadmodum Gregorius loquitur, qui gloriosam miraculis vitam altero Dialogorum libro complexus est, *quasi sub vno Solis radio vniuersum mundum ante se collectum conspexerit.* vtq; merito illum Occidens non velut Monasticæ tantum reparatorem, familiæque sanctissimæ Patriarcham; sed & Parentem, fontem, originem omnigenæ sanctitatis prædicet. vti qui iuxta verissimum Hildefonsi Toletani elogium, *ita cunctorum meritorum claruit perfectione sublimis, vt exclusis omnium virorum illustrium comparationibus, in Asceticæ vitæ constitutione nihil illi simile demonstret antiquitas.* Estque illud fructuum vberrimorum caput præcipuum;

Vrbani II. Pp. Bulla.

Baron. tom. an. 716.

Greg. l. 1. dial. c. 4.

S. Hild. apud Sur. in vita S. Disipodi.

Greg. l. 2. dial. c. 5. & seqq.

S. Hildef. lib. de viris illustr. c. 2.

cipuum; quidquid Borealibus in locis vltra cisque Rhenum, Albim, Visurgim, Danubium, vicinasque regiones ad Christi fidem traductum, Ecclesiæ Romanæ sub hæc tempora accessit, id omne profectò D. BENEDICTI Discipulorum assiduo labore quæsitum, sudore comparatum, religione conseruatum, zeloq; indefesso auctum, fatendum esse. vti, qui, Patriarcha suo antesignano, iuxta Alfredi Anglorum Regis testificationem retroactis sæculis *humani generis maximam partem cœlo lucrifecerũt.* Nec vero quidquam exaggeranter in eiusdem instituti commendationem Iacobus Vitriacus scripsit, qui Honorio III. Pont. Maximo, & Friderico Cæsare ętatem inter Patres Purpuratos degit; dum, *nullam*, ait, *religionem aliam tot Sanctis viris abundasse, aut tanto tempore rigorem disciplinæ conseruasse, aut tot genuisse Ecclesiæ Pastores; qui excellentis vitæ exemplo, & doctrinæ verbo collustratis tam multis regionibus, tot è diaboli faucibus animas eripuissent.* Hinc illæ tot per vniuersum Orbem Christianum erectæ doctrinarum & religionis officinæ, tot olim hodieque in Gallia, Germania, Austrasia, tam numero Monachorum, quam virtutis, ac prisci rigoris commendatione celeberrima Monasteria; vt merito tertiam Orbis partem ab iis quondam occupatam Tritemius scripserit. Sanè vero, sicut D. Benedicti disciplinam ALSATIA nostra benignè complexa est, ita eandem longè lateque Sancti Patris Alumni insigni meritorum ac rectè factorum gloria repleuerunt. Quorum Principem referunt veterum annales S. FRIDOLINVM, regio Scotorum sanguine editum, cognomento *Viatorem*, quod ad cultum Christianę religionis inserendum, sponte, Christi caussa peregrinus, multas terrarum oras indefessus obiret. Hic excellenti sanctimonia vir, & signorum, quæ per diuinam potentiam operabatur, virtute non vul-

Verissima Ordinis S. Benedicti elogia.

in fine dialog. S. Greg

Petr. Canis. in vita S. Frid. Henr. Pantal. p. p. de viris illustr. German. Gasp. Brusc in Monast. Ioan Stũpf. hist. Eccles. cent. 1. Chron. Claron. Argent al. Fridoldus.

gari, primum è transmarinis regionibus ad *S. Hilarium* Pictauiensem Episcopum inuisit, asceticen ibidem cõplexus. Quo deinde in Cælites relato, cum isthic loci aliquamdiu gubernacula tenuisset, atq; magnifici operis Cænobium Clodouæi Magni beneficentia condidisset, parte non modica Sanctissimi Antistitis exuuiarum secum asportatâ, in Belgicam primum, inde ad Mosellæ ripam haud longè remotum eiusdem *S. Hilarij* memoriæ alterũ domiciliũ excitauit, quod *Hilariacum* antiquitus dictum, hodie *S. Naboris* vocabulũ vnà cum oppido retinet, posteaquam eius Martyris pretiosa lipsana ex Vrbe adlata, per Grodegangum Sanctissimum Mediomatricorum Antistitem eôdem inuecta sunt. de quo diffusiùs in S. Sigebaldi vita suo loco olim meminerimus. Indidem etiam mouens Fridolinus, transitis Vogasi iugis, in *Alsatiam* deuenit, & *Argentoratum* subiens, ibi quoque incolas, partim vana Deorum superstitione adhuc obtenebratos, partim Ariana scabie infectos Christum Seruatorem ac sanam fidem condocefecit. Mox Rheni litora legens, non sine diuini verbi præconio, multorumque parta salute, *Seckingam* appulit, olim *Sacconium* nuncupatam, vbi ponte strato Romanam Gentem, veteres Alemanos, & Martianę siluę accolas in officio continuisse, viamque ad inferas Alsatiæ oras sibi patefecisse, maiorum literæ docent. Ibi circumspectis diligenter omnibus, Clodouæi Regis beneficentia, cuius gratiam iam antea per morum integritatem, & sanctimoniæ non vanam opinionem collegerat, repertam sedem tranquillæ vitæ agitandæ, & sacratioribus studiis accommodatam efflagitat; in eaque geminum domicilium, virorum vnum, postea alterum sanctimonialium figere cœpit, accitis eodem loci pręclaris dotibus, & mirificâ Sanctitate Virginibus, anno, vt plerique anna-

Alsatiam peragrat.

les perhibent, CCCCXCV. Cuius hodie ea dignitas est, vt loci Antistita inter Imperij Principes locum obtineat. Iamque alios etiam populos ad salutarem doctrinam adducendi magno atque cælesti quodam igne Vir Apostolicus ardens, primo ad Burgundionum fines, mox longa & difficili peregrinatione ad Grisones progressus est, Curiensem Antistitem ex interuallo salutaturus. quo beneuolente, atque etiam benè precante, duobus Oratoriis excitatis sub D. Hilarij, deinde autem D. Martini Turonici patrocinio, Constantiam, & exinde per montem Vocetium aspero itinere Claronam appulit, populosq; ab idolorum cultu, abstractos, ad Christi lauacrum perduxit. Cæterum ad insulam Seckingensem regressus, cum iam incolas nimioperè à suis rationibus abhorrentes nactus esset, vt etiam salutis suæ curatorẽ per vim arreptum, & seruilem in modum virgis cæsum eliminarent, iamque extrema mala inferre parantibus, Fridolinus, post fusas ad Deum preces, nouo prodigio, in conspectu hostiũ, perueteri alueo in sinistrũ traiecto, Rheni vndas bifidas effecit, vt circũfluis alueis hodieque Parthenon intra Secauiam Insulam contineatur. Cui affine fuit, quod elata voce mortuum tantisper ad vitam reuocarit, quoad è Clarona Heluetiorum vrbe, vbi tumulatus fuerat, ad Rhętorum vicum, *Ranguil* dictum, sextoque à Claris lapide dissidentem, vna secum pergeret, & multis, qui in rem presentem venerant, stupore defixis, coram Baldoberto territorij Præside litem de possessionibus Seckingensibus, quibus defuncti frater per summam fraudem inhiabat, contestaretur. Nimirum his rebus, quasi lucis radiis discussit omnem maleuolentiæ atque insidiarum caliginem, quam æmuli offundere conabantur. Spiritum tandem Sanctissimè posuit Seckingæ, anno, vt non obscuri Scriptores

Miraculis claret.

ptores

ptores subduxerunt, præter ppter DXIV. eodē circiter, quo Rex Clodouæus: ætate prouecta; cum aliis mirandorum operum, quæ ad eius memoriam varii generis infirmi, sed inprimis difficili partu grauidæ prædicant; tum Monasticæ, de qua nunc agimus, in citeriores Rheni oras inductæ æterno elogio commendabilis. Cuius acta, cum ex Petro Canisio, vernaculo idiomate edita peti possint, vt hic prolixius à me recenseantur, non æstimaui operæ precium. Et vero Claronenses conseruandæ apud posteros tanti viri memoriæ, illius effigiem labaris, sphragismis, & moneta cusa in hanc diem exprimunt, lucemq; aniuersariam quotannis solemnem agitant. Certè hic iam locus exposcit, vt primâ quoque Cænobij *Maurimonasteriensis*, sub Childeberto id appellationis I. Francorum Rege positi incunabula, progressusque vel compendio repetamus. Itaque vetusti annales, & Cænobij eiusdem membranæ perhibent, anno depulsæ per Christum seruitutis D L V. ad diem VII. Iduum Aprilis, Iustiniani Cæsaris & Pelagij id nominis I. Pontificis æuo, LEOBARDVM, S. Benedicti discipulum vnicè carum, virum omnigena virtute, morumque integritate conspicuum, geminis eiusdem propositi Sodalibus Amando & Valeriano comitatum, è Cassini iugis per fines Campaniæ, in Alsatiam progressum esse, sanctissimi sui instituti legibus proferendis atque ad Vogesi montana dimidio ab Tabernis Alsaticis lapide, inter siluarum nemorumque abdita consedisse. Dehinc à Childeberto I. Clodouæi Magni Filio, qui per id tempus Austrasiis cum potestate ius dicebat, vt erat Princeps omnium literis celebratus, quemque Patres in V. Synodo Aurelianensi *piissimum*, Venantius Fortunatus, *diuini cultus amantissimum* prædicarunt, gratiam illi veniamque factam, vt loco, vbi hodieque flo-

Chron. MauriMonast. Argēt.

rens Cænobium *Mauri Monasterium* cernitur, cellulam erigeret anachoresi exercendæ. Cui de suo nomine appellationem indidit, duobus sæculis duraturam, vt LEOBARDI CELLA diceretur. ibi ergo domicilium positum.& iuxtà, Basilicâ sub D D. Petri & Pauli Principum Apostolorum, necnon Martini Turonensium Antistitis aduocatione, sanctissimis religionibus sub annum humanæ redemptionis DLVII. initiatâ, aliis quinis Fratribus adscitis, in commune viuere, ac Cænobij fundamenta iacere cœpit. Quorum candore, morumque innocentia mire captus Childebertus, fundos, vectigalia, possessionesque syngrapha firmatas adiecit, dato ad hoc regio diplomate *in Curia Marlheini*, vt panchartæ loquuntur, anno Verbi incarnati vndesexagesimo supra quingentesimum. quę deinde Sancta Romana Sedes eodem anno rata firmaque habuit. Interim Rex summa honoris amorisque significatione Congregationem illam Deo amabilem identidem frequentare, hic Sacras ædes obire, preces fundere, donis & votis S. Martinum loci Patronum colere, ei non vectigales solum domos & fundos; sed homines nexu mancupioque addicere. qui, hodieque vsurpato vocabulo, Martiniani dicuntur. Porro, Childeberto rebus mortalibus erepto, Clotarius I. Theodebertus, Chilpericus, & Clotarius II. DAGOBERTI parens, (sub quo S. Leobardus sanctitatis fama inter suos celebris hinc emigrauit) suas quoque amplissimę munificentiæ largitiones in hunc locum cumularunt. Extant elenchi eiusdem Cænobij, in quibus DAGOBERTVM Magnum præclarè de hoc etiam loco meritum, grata memoria posteris commendatum est. Iam in LEOBARDI locum à quaterdenis numero fratribus sub annum Christi DXC. Anastasius suffectus fuit, qui cum XL. annos clauum tenuisset, partes

Mauri Monasterium olim Cella Leobardi dictum.

suas

ſuas Godefrido annis grandæuo, miræque abſtinentiæ, qui ad annum ætatis CXVIII. peruenit, conſignarat. Quoad poſt variam rerum Monaſterij inclinationem, ac labem, MAVRVS Leobardi II. ſucceſſor, S. Pirminij Meldenſis Epiſcopi in Senonienſi prouincia diſcipulus, Magiſtro ſimillimus, vnanima omnium conſenſione ſub annum DCCXXIV. ad Cænobij adminiſtrationem, agente potiſſimum Theoderico Rege, admoueretur. dignus vtique vir, cuius ob ſingularem beneficentiam loco ſubleuando reſtaurandoque impenſam honos & veneratio vnà cum nomine nulla apud poſteros vetuſtate obſoleſcat. Hic bonorum omnium confirmationem, ac præterea donationem Marchiæ Aquileienſis olim à Childeberto factam, & conſequentium Franciæ Regum ſyngraphis conteſtatam ratamque, ab Rege Theoderico impetrauit. inſuper Templi ac Cænobij veteris mole fatiſcente, à clade an ruina? non exertè proditur, vtrumque noua ſtructura inteſtina extimaque erexit, aucto etiam Cænobitarum numero, vt XXXI. capita cenſerentur. Murum ampliſſimum circumduxit, magno Monaſterij ornamento ſimul & munimento. Quibus rebus eam apud ſuos gratiam inijt, vt antiquatæ LEOBARDI memoriæ, nouis quaſi domiciliorum operis, prouentibuſque, quibus pæne exinanitam Cænobij familiam prouexit, nouam quoque MAVRI Monaſterij appellationem ſubrogarent, quæ ad hoc tempus illi adhæret. Denique ſæculi interuallo, ſub annum DCCCXXVII. ſuperuenit CELSVS Abbas præcellens virtute Antiſtes, qui cum eſſet non ſimplice quadam beneuolentia, ſed magna & vbere bonorum omnium exaggeratione, Ludouico Pio Imperatori Caroli Magni Filio gratioſiſſimus; multis Cænobio priuilegiis impetrandis illud ſibi obnoxium fecit. Poſteaquam enim

Marchia Aquileienſis donatio.

anno consequente, maxima eius pars cum bonis & membranis veteribus luctuoso incendio conflagrasset, is illud continuò, ac simul elegantis structuræ Ecclesiam reædificauit. sub idem tempus, Ludouicus celebri conuentu, quem Argentinæ agitabat, Drogoni fratri, Mediomatricum Antistiti in mandatis dedit, vt Mauri-monasterium sibi restaurandum sumeret; qui vt erat præstanti religione, & explorata sanctitate, Cænobium ad pristinam speciem ad laborante Celso reduxit. Quo eodem Abbate, (etsi non desunt, qui Walrapho generosa Geroltzechianorum Baronum stirpe edito, qui anno MCCCXLVI. præfuit, factum adscribunt) *corpora SS. Calestis & Autoris* Mediomatricorum Antistitum, ad MauriMonasterium illata sunt, non sine prodigijs, quæ Sanctorum pignorum translationem merito posteris commendent; quæ quia domi nata sunt, signatiùs hoc loco euolui merentur. Igitur postquam sacratissimus Diuorum thesaurus festa supplicatione indicta ex Mediomatricibus, augusto cultu, Drogone Pontifice, cum Celso Cænobiarcha pompam ducente, ad MauriMonasterium peruenit, vt ibidem ad horam capto quietis loco, deinde Argētoratum transferretur; euenit interim, Dei aliam Diuis sedem nouosque Alsatiacis oris Patronos destinantis arcano consilio, vt boues iugales Sacrorum pignorum baiuli, ad vicinum montem subsisterent, nullaque arte propelli possent. Ergo omnibus rei nouitate suspensis, ac populo, qui cum religiosorum manu confertim affluxerat, Dei omnia moderantis potentiam humana vi maiorem exclamante, multis multa putantibus, Celso in mentem venit, bubus liberum quaquauersum iter permittere. Quibus dextrosum sine moderatore declinantibus, atque ad ducentos circiter passus progressis, fons limpi-

SS. Calestis & Autoris corporum translatio.

dissimus.

dissimus scaturiit, quem ab *S. Autore* in hanc diem *Altersbrun* vernaculi nominant, morbis pellendis olim salutarem. Vnde omnium votis in eam sententiam itum est, Dei annutum videri, vt Sanctorum corpora hoc in territorio reponantur. Nec mora: maius omen cælo affuit. nam continuò, diuinitus impulsi veloce cursu boues citra laborem ad Mauri Monasterii valuas, quod iam recens, vti diximus, conflagrauerat, procurrentes sponte semet stiterunt. Itaque noua omnes perfundi lætitia, Cælitum fauorem opemque sibi certam spondere. mox lipsanotheca cum SS. pignoribus de essedo ad primariam Aram Deiparentis nomini consecratam, collucentibus circumsecus cereis, hymnisque intersonantibus reposita; vbi loco quidem optato potiuntur; & hodieque istic multa in veneratione sunt, præsenti sæpe ac prodigioso pellendis morbis, sed febribus maximè auxilio, iisque, qui obstipo sunt corpore, erigendis, si post fusas ad Deum preces, subter tumbam, qua Sanctorum exuuiæ requiescunt, transgrediantur. Exstant & magnæ Pontificum condonationes, quibus ad pristinam Patronorum venerationem, ac frequentiorem cultum inuitati maiores. Nec abutar, vti confido, lectoris patientia, si, quam regificè hoc Cœnobium quondam dotatum fuerit, ex donationis per Theodericum Regem factæ illustri documento testatum faciam; præsertim, cum etiam hinc beneficia DAGOBERTI nostri & maiorum erga idem pietas exsplendescat. Sic igitur habet.

IN NOMINE SANCTÆ & INDIVIDVÆ TRINITATIS.

THEODERICVS diuina fauente clementia Rex Francorum, viro illustri Luitfrido Alemanorum Duci. Si petitionibus Deo seruientium, quæ ad eorum quietem, & tranquillitatem pertinent, libenter præstamus, atq; ad effectum perducimus, regiam consuetudinem exercemus, & ad mercedem, vel stabilitatem regni nostri pertinere confidimus: ideo notum esse volumus, tam futuris, quam præsentibus, qualiter venerabilis: Maurus de Monasterio Domini Leobardi, quondam Abbatis, in honorem Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli, & Sancti Martini peculiaris Patroni nostri constructo, Clementiæ regni nostri suggessit, quod antecessori suo Domino Leobardo, quondam Abbati, qui ipsum monasterium suo opere à nouo fundamento ædificasse noscitur, inclytæ memoriæ parens noster Childebertus, quondam Rex, ad oportunitatem ipsius monasterij terram illam, quam de deserto ipse ad excolendum, vel commanendum præoccupauerat, per loca prænominata, de ponticulo Ad Fuenheim vsque ad publicam stratam Tabernensem, ac deinde ad stratam pagi vel oppiduli Marleiensem, hinc terminum de Fonte Cisternato cum adiacentibus suis, vsque ad Gunsium riuum, indeque ad montem Cuberbum per fraxinetum, tum demum ad locum, qui vocatur Islascovva, & sic per fluuium Sornam, vsq; ad crucem Petrinam: tum demum ad Mauri riuum pro futura mercede eisdem concessisset, vt nullus ibidem campos facere, nec porcos saginare, nec materiam succidere; neque ipsius fines penitùs irrumpere præsumeret, Sed hoc ipsi monasterio omni tempore concessum esse deberet: & quidquid intra, vel extra præscriptos terminos in quacunque prouincia, vel pago, ipse vel

Limites donationis facta Mauri-Monasterio

al. Aschovva.

aliquis

aliquis Regum prædecessorum eius tradidisset, seu successorũ quilibet, potens vel vilis persona, memorato loco, Abbati, eiusq́ successoribus, pro animæ suæ salute tradidisset, nullo contradicente, aut resistente, libere atque licenter possidere liceret. Vnde ipsam præceptionem memorati Principis seu diuinæ recordationis THEODOBERTI, CLOTHARII, DAGOBERTI, SIGEBERTI, itemque DAGOBERTI, quondam Regum nobis ad confirmationem ostendit, in præsenti relegendam: sed pro firmitatis studio, nostrum sibi expetijt ex hoc ipso in eõdem monasterio, vel circa eius terminos, omniaq́ ad id pertinentia confirmare præceptum. Cuius petitionem, pro Dei intuitu, vel mercedis nostræ augmento, benignè suscipientes, ita nos confirmasse, & in omnibus præstitisse Regia consuetudine cognoscite. *Regũ Theoderici Decessores.*

Præcipimus enim, vt quidquid per inspectas supradictorum Regum præceptiones, ad ipsum monasterium longè vel propè noscitur concessum fuisse, per hanc autoritatem nostram ipsi monasterio, vel memorato MAVRO ABBATI suisque successoribus, omni tempore in Dei nomine, & ipsum priuilegium nostris & futuris temporibus, stabile Deo auxiliante omnimodis conseruetur. Similiter petiit, vt eum cũ omni familia, rebusque monasterij sui, longe vel prope constitutis, sub nostro mundiburdio & defensione *reciperemus, quod nos pro mercedis nostræ augmentis ita, & præstitisse cognoscite, & confirmasse. Quapropter per præsens decernimus, ac iubemus præceptum, vt neque vos, neque iuniores vestri, seu successores, nullaq́ omnino cuiuscumq́ sit potentiæ persona, ipsum Abbatem, neque monachum, neque certos homines iniuriare, neque condemnare; neque infra, vel extra monasterium rem irrationalem facere penitus, neque de rebus ad se pertinentibus quippiam auferre præsumat; sed liceat ei, suisq́ omnibus sub immuni-* *Theodericus confirmat donationes & Priuilegia Antecessorum.*

tatis titulo, & nostro mundiburdio, vel defensione, *cum omnibus rebus suis, & Monasterij sui, secundum normam Patrum Domini Benedicti, & Domini Columbani, quietos residere, atq; securos: quo potius ipsam Congregationem sanctam melius delectet: pro stabilitate regni nostri misericordiam Domini die noctuq; crebrius exorare. Data Metis in cœnobio Sancti Arnulphi, eiusdem loci Episcopi: quod est constitutum in suburbio, sub die Kalend. Maij, Anno Dominicæ incarnationis DCCXXIV. Indictione tertia, anno vero regni Domini Theodorici quinto.*

EGO GRIMOLDVS CANCELLARIVS RECOGNOVI.

Hactenus Theodericus, cuius Autographi media membrana sigillum erat liligerum Regis appressum, hac verborum subscriptione;

THEODERICVS DEI GRATIA REX FRANCORVM.

PORRO hanc Regiam liberalitatem posterioribus sæculis noua religiosi cætus coloniâ, adauxit Richwinus ex Præposito Neouillano Abbas, qui Henrico IV. Augusto præclarè munus suum florentibus annis impositum, ad exitam vsque ætatem magno Cænobitarum emolumento perpetuauit. Nam ab eo in *monte Sindeno*, proximè Mauri Monesterium, nobilissimi quondam Parthenonis fundamenta iacta; quæ deinde nouis accessionibus posteros Cænobiarchas Reichwini successores ad consummatæ pietatis laudem excitarunt. Est in manibus membrana peruetus, qua vniuersi iuris, fundorumq; cōseruatio huic loco attributa stabilitur, attestatione semiuncialibus literis in hanc sententiã consignata;

Mons Sindemus vulgò Sindelsbergt.

ANNO

ANNO AB INCARNATIONE DOMINI MCXV. CALIXTO II. PAPANTE, HENRICO IV. IMPERANTE, mons Sindenus à Sindeno B. Leobardi Aquileiæ Mauri Monaſterij primi fundatoris diſcipulo, Sindeni curia quondam appellatus, temporibus Richwini Abbatis à Præpoſito Richwino poſtea Neouillarienſi Abbate ex reuelatione fundatus, in diebus pij Adelonis regularis vitæ ſanctimonialibus deputatus, rogatu inclytæ memoriæ Domini Meinhardi XXX. Abbatis à venerabili Theodewino D.G.S. Ruſinæ Epiſcopo, Apoſtolicę ſedis Legato, primitus autem huius loci profeſſo, in honore Sanctæ Dei Genitricis ac B. Blaſij eſt conſecratus, anno verbi incarnati MCXXXVII. Innocentio PP. Lothario II. regnante. al. XXXII.

Media chartæ area, totius Parthenonis & Ædis ſacræ topotheſiam exhibet, cum hac verborum periphraſi;

ISTVM VIRGO PIA MONTEM DEFENDE MARIA;
AVXILIOQVE PARI MARTYR ADESTO BLASI.

Denique Abbatum eiusdem Cœnobij Chronographicam seriem, quam frequentibus interlocatam temporum spaciis Bruschius recitat, ex fastis Mauri Monasteriensibus integrè, nec indiligenter contextam, destinatò in aliud tempus prorogamus, nequid hoc loco prolixitate peccetur.

NOTA.

De voce MVNDIBVRDIO, *deq;* DEFENSORIBVS, *siue Aduocatis.*

Hotoman. in verbis Feud. Guilh. Parad. l. 1. rerũ Burg. Chron. gener. ord. S. Bened.

MVndiburdium, quod *Mundeburgium* quoque Hotomanus, *Mamburgium* Guilhelmus Paradinus dici vult, ex media desumptum ætate, & in Pontificum Regumque rescriptis frequẽs, defensionem siue tuitionem significat. Aliter etiam appellatur in Clodouæi I. decreto, quo fundationem S. Petri Senoniensis, Theodechildæ filiæ rogatu factam sancitamque ait, *se sub sua defensione atque maniburdio fundare.* apud Paradinum verò Boso in formula regni accepti spondet, *legem, iustitiam, & rectum mamburgium, auxiliante Deo, conseruaturum.* Sic Wilibertus in docatione S. Petro Coloniensi facta sub annum DCCCLXXI ita loquitur; *vt sis sub defensione & mundeburdo ipsius Ecclesia, & sub ala Pontificis, qui tunc temporis ibidem præesse videtur.* Similibus scatent passim Diplomata sequioris sæculi. Porro quibus Mundeburdij executio imposita, passim in Francorum Regum literis & Caroli Magni Constitutionibus *Defensores* nuncupabantur.

Pancin. l. de voc. sign. S. Greg. ep. 66. & alii.

Etenim, florente religione, olim sibi Ecclesiarum & Cænobiorum Præsides Aduocatos legebant; quos Defensores plerumque, interdum etiam Vicedominos dictos comperi. Horum functio Pelagii Pont. Max rescripto exprimitur. Nam cum Antonia Patritia Monacho cuidam *Defensoris* munus à Pelagio imponi optaret; Pontifex ratus, id à Cænobitarum instituto prorsus alienum, rescribit in hæc verba; *Illis*, religiosis, *quies, oratio, labor manuum*; *at ijs*, Defensoribus, *caussarum cognitio, conuentiones, actus, publica litigia, incumbunt, & quæcumque vel Ecclesiastica instituta, vel supplicantium necessitas exigit.* neque in forensibus duntaxat li-

litigiis

tigiis; sed armis etiam, sicubi ad tutelam opus esset, aderant. Quare D. Cyprianus testis est, antecessores suos religiosè & salubriter decreuisse, vt pro eo, qui ad tutelam Clericum nominasset, nec oblationes fierent, nec ad altare Sacrificium offerretur. idemque obseruari mandat in Victore quodam, iam dictæ constitutionis præuaricatore. Posteris vero annis ex officio dignitas emersit; quando Episcopi & Cænobiarchæ potestatem ciuilem Aduocatis delegabant, ne capitalibus illi curis immiscerentur. Sed *humanarum rerum vitium est*, inquit Tacitus, *quædam rectè ad pietatem institui; mox ad propria commoda, & diuersos effectus conuerti.* Ita Defensorum officium in Sacrarum rerum patrocinium & procurationem institutum, in earundem iacturam & depressionem delabitur; dum hi prædia sibi, non Cænobiis acquirere, colonis imperare grauia, dominos vbique, ne quid grauius dicam, agere non verentur.

S. Cypr. l. 1. ep. 9.

Tac. lib. 11. hist.

Caput Septimum.

DAGOBERTI Magni PARENTES. eorum encomia, gestaq́;. AVSTRIACÆ DOMVS primordia.

CLOTARIVS, id nominis II. ex Fredegunda pellice filius, Clotarij Nepos, in Francorum Regum seriem decimus venit, anno redempti orbis DLXXXVII. quadrimestris infans; vt idem illi prope esset exordium regnandi, quod fuit viuendi principium. Ætatem teneram, præsidio ac Rectore indigentem, cum Fredegunda Matre Guntramus patruus, Aurelianensium & Burgundionum Rex, quodam misericordiæ sensu in suam tutelam accepit. Quæ res Childebertum Sigeberti filium, Mediomatricum Regem, ægrè habuit, causamque dedit, vt Clotarij tutandi curam armis ad se transferre satageret. Cui Fredegunda

Fredegūdæ Matris animositas. Hadrian. Barland. in Duc. Burg. Gangu. in ann. Franc. AEmil. in Clotar.

mater bellis gerendis ciendiſque ſupra fæminam prompta, atque ad audendum proiecta occurrit, duce copiarum Landrico Equitum Magiſtro. Fama eſt, & auctores narrant, iu ipſo prælij conflictu Fredegundam Regem puerum, pro quo bellum ſuſcipiebatur, vlnis gerentem primas acies antegreſſam, adeò inter ſuos bellum incendiſſe, vt cæſis XX-millibus hoſtium inde manaſſe victoriam prodant annales. Certè hic ſucceſſus Childebertum ſeu mærore, ſeu quo alio caſu, haud diu poſt, vnà cum coniuge, anno ſæculari ſexto, vita eiecit. Et ſunt, qui Fredegundæ conſiliis, veneno coniugem vtrumque ſublatum ſuſpicentur. Verum & ipſa ſub annum Clotarij quartumdecimum domi viuere deſiit. cui etiam Clotarius in D. Germani Æde, tumulum, qui hodie viſitur, ad pedes Chilperici parentis curauit. Hinc Theodebertus Auſtraſiæ, & Theodericus Burgundiæ Reges confirmata ætate, Brunechildis, auiæ, Fredegundis ex Athanagildo Gothico Sororis Germanæ conſultis, cum Lothario bellum geſſerunt. Videlicet in finitimis imperiis bellorum cauſæ deeſſe non poterant; Et Clotarij ætas iniuriæ opportuna videbatur. Nec ante deſitum eſt furere, quam Theodeberto, vt ferunt, in Vbiis cæſo; Theoderico letali poculo intercmpto, rerum atque Imperij ſumma penes Clotarium eſſet. Niſi quod Brunechilda doloſis conſiliis Clotarium anteuertens, Sigebertum Secundum, Theoderici filium duodennem, feſtinatis comitiis in Vrbe Mediomatricum, Auſtraſiæ Regem inſtitui curârit, ne confirmata ſecundo hominum fauore Clotarii potentia, ſibi ſuiſque fraudi eſſet. Id Arnulphum, & Pipinum Maiores Domus aduertit, vt Clotarium validis copijs ſtipatum aduerſus Sigebertum armarent, eoque perempto Brunechildis, Regni Principibus, & vulgo inuiſa, cum ſub

Mors.

Brunechildæ actus.

annũ DXVII. in Clotarij poteſtatẽ veniſſet, totius populi comitiis, contumeliiſque oppleta, poſteaquam velut piaculare oſtentum aſello circumuecta, & quater fuſtibus lacerata tergo fuiſſet: demum ab equis indomitis diſcerpta periit, exacta ætate mulier, eo minore populi miſericordiâ, quod multorum ſcelerum, & decem in primis parricidiorum in nobiliſſimam Regij ſanguinis ſtirpem conuicta, ſæuitiam per omnia iniuriarum exempla impune diu inquies, & turbulenta exercuiſſet. At ſunt, qui ob Gregorij Turonici de his flagitiis ſilentium addo, & Gregorij Magni præclaram teſtificationem, cum de aliis virtutibus, tum de illius pietate; Brunechildam innocentem perditiſſimis eius æui temporibus alienâ inuidiâ flagraſſe notent, & Fredegundæ ad omnem petulantiam ac diritatem natæ fœminæ, quæ ſupra meminimus, crimina perperam illi affiĉta velint. cum inter veriſſimas Brunechildis laudes, multa magnificaque templa per Galliam vel à fundamentis conſtituta, vel reſtaurata exſtent. de quo ſi quis fidem abrogarit, Aimonium audiat; *incredibile videri, tot ab vna Brunechilde pia ædificia in Auſtraſiâ & Burgundiâ erigi potuiſſe.* Sed de hoc ſuum lectori arbitrium eſto. nos ductam per manus famam, & hiſtoricorum conferta teſtimonia temerè repudianda non putauimus: interim Brunechildæ ſepulcrale ſaxũ hodieq; Auguſtoduni viſitur. Nos ad Clotarium reuertamur, qui Regno Franciæ poſt LVI. amplius annos ad Monarchiam reducto, trium ampliſſimorum regnorum vnicus hæres, totum ſe componendis Auſtraſiæ motibus, moribuſque formandis dedidit. Vnde belli ac pacis artes eximias, religionis & iuſtitiæ amor illuſtrabat. Nam pietatis inſigniter excultæ monimenta cum alibi, tum apud Morinos exſtant. AEdes Deiparę Sacra, magniſque prouen-

Greg. epiſt. l. 11.
Aimoin. lib 4. c. 5.
Vid. Baron. in Not. ad Martyr. Rom. XI. Febr.
Ioan. Tilet. in Chron. Fr.
Adonem. in Chron. an. 83.
Annal. Maſſon. in Clotar.

CLOTARII Monarchia

Greg. Turon. l. 4. c. 37. 49. 50. & lib. [illegible] c. 14. & l. 9. c. 39.
Bellef. l. 1. an. Fr. c. 23.

Pietas, & munificentia.

uentibus regia munificentia decorata, Cęnobium item, D. Walerico magnæ Sanctimoniæ Viro auctore, proximè Ambianum Clotarii Regis impensa à fundamentis eductum. Et vetustis Alsatiæ membranis signatum reperio, Mauri Monasterium, quod dimidio miliari Tabernis Alsaticis dissitum iam supra descripsimus, dotationibus per Clotarium attributis, per beneficentiam eiusdem ac pietatem præclaro elogio posteris commendari: sub quo etiam Leobardus, è primis D. Benedicti Alumnis, eminente Sanctimonia vir, qui loco primitus appellationem sui nominis indidit; vita functus, anno vndenonagesimo supra quingentesimum, prid. Kal. Ian. cælo recipitur. Interea Viros sanctos, quorum præsidio regnũ in vera pietate stabiliret, Clotarius, vsu amicitiæ sibi iungere, & in arduis rebus consiliarios adhibere Dei amicos, pro more habuit. Cum primis vero ex S. Columbani Luxouiensium Cænobiarchæ, notæ id temporis integritatis, & mirandorum operum viri, sub annum DXV. demortui, atque inter Diuorum agmina transscripti successores, Eustrasium, Attalum, aliosque tum Luxouiensis Cænobij tum Bobiensis Cænobiarchas & Ascetas obseruauit; quorum complures ad Episcopatum euecti, ab Iona luculento eius sæculi Scriptore recensentur, Chagnoaldus Lugdunensis, Acharius Viromandorum & Nouiomensis, Rachnacarius Augustoduni, Audomarus Tauronensis. nec minus caros habuit vita & religione insignes, Amandum in Belgica, Gregorium Turonensem apud Turonios, apud Pictauos Fortunatum Hagiographum Poëtam, in Cænomanis D. Maurum, Sancto Benedicto vnicè dilectum discipulum. quo etiam tempore D. Germanus Parisiorum Antistes miraculis clarescebat. Sanctum vero Protadium Bisuntinum Archiepiscopum adeo reuerenter amauit, vt,

S. Leobardi in Mauri-Monasterio Alsatiæ Cænobio pius obitus.

Viri sancti CLOTARIO familiares.

quod

quod ex peruetustis eiusdem Ecclesiæ tabulis pronuper V.C. Iacobus Chiffletus in Vesontione prodidit, ab eius nutu consilioque penderet, insuper *Patrem & Dominum* appellaret, seque Rex magnificus *seruum ac filium subiiceret.* De S. Arnulpho & Pipino, quos DAGOBERTI filij Moderatores esse voluit, proximus erit dicendi locus. S. Lupum Senonensem, supremis Viris ea ætate connumerandum, pessimis consultis propria sede pulsum, facti pænitens reuocauit; & supplex veniam precatus, in regno suo cum aliis quam plurimis indulgentissimè aluit, ac beneficiis munificè cumulauit. Cæterum hæc Clotarij tempora Stephanus Abbas panegyrico sermone depingens; *quale*, inquit, *quam Sanctum erat illud palatium, ex quo tam Sanctos tamque illustres suscipiebat Ecclesia Dei Sacerdotes, ex quo procedebant sectatores, non Simonis, sed Petri; non mercenarij, sed veri ministri Christi; & qui curias Regum non quærerent, sed potius à Regibus quærerentur?* Quin & iustitiæ per Clotharium administratæ præclarum specimen Alsatia vidit; quando, teste Fredegario Scholastico, & iisdem pæne verbis Aimoino, sub annũ DCXIIX. in Regio Alsatiæ prædio Maurolegia (hodie vulgo Marlesheim) cum Bertrada Regina commoratus, in complures variorum scelerum reos gladio animaduertit. Fuit in his Aletheus è nobili Burgundionum prosapia, tum aliorum criminum noxis, tum inprimis HErponis Patricij cæde notatus. Herponem namque Albonis filium (qui ob res præclarè gestas Guntramo Regi acceptissimus in paucis fuerat) Clotharius totius Galliæ potens Burgundionibus ac Transiuranis cum potestate præfecerat. quẽ inolitam scelerum licentiam seuerius coërcentem cum Aletheus oppressisset, Massolacum iussu Clotharij euocatus, atq; in conspectu procerum caussam dicere iussus,

Iacob Chiffel. o. 2. in S. Protadio

Fredeg. Chron. c. 43 ad an 618.

CLOTARIVS scelerum vindex in Alsatia.

Marleheim prope *Kircheimium.* Aimoin. *Maurolegium hodie* wasselheim

dum se nequidquam de obiectis facinoribus purgat, capitali sententia damnatus, extremo supplicio, scelerum pænas cum percussoribus dedit. Erat Clotario Regi iuncta connubio BERTRADA Regina illustri Burgundionum satu, præstanti pietate fæmina, quam impense non solum Rex, sed & populus ob virtutem adamabat. Hæc DAGOBERTVM rerum gestarum amplitudine Patri non imparem, religionis etiam ac pietatis gloria maiorem futurum felici partu enixa est. Fidem coniugalem inde colligas, quod cum Alethei supra notati monitu Leudemundus Sedunensis Antistes eam ab Clotario subducere connisus, insuper thesaurorum alio transportandorum autor esset, Aletheum paratum vxore abdicata, incæstis eam nuptiis sibi copulare; ipsa non modo facinoris grauitate absterrita; sed dolore acerbissimo tacta, quod ingemisceret, iis se moribus haberi, cui tam infanda suaderentur, illicò in conclaue se proripiens, rem totam Clotario aperuit. Qui Aletheo, ita vti diximus, morte multato, Leudemundum Præsulem eiusdem facinoris conscium, solum vertere iussit; siue quod vitæ condonatio illi per Austrasium Luxouiensem impetrata, siue quod viro Sacrato manus iniicere religio esset. Post obitum vero BERETRVDÆ quæ in annum reparati orbis DCXV. regni Clotarij duodetrigesimum incidit, Sichildem duxit, è qua Aribertum sustulit. Hic iam res ipsa hortari videtur, ne primum à Clotario Habspurgensium comitem, communi prouincialium lætitia institutum, silenter prætereamus, SIGEBERTVM Austrasium cognomento *exulem*, Theodeberti Austrasiorum Regis Filium, Clotario sanguinis propinquitate coniunctum: quem ab Theoderici cognatis carnificinæ per Brunechildem in suos exercitæ clam subductum, & Wirceburgi interea loci degentem,

BERTRADA Clotarij cõiunx, DAGOBERTI Mater. al. Beretruda. siue Bergetruda.

Fides coniugalis.

Obitus. SICHILDIS *altera* CLOTARII *vxor, Ariberti mater*

SIGEBERTVS *exul à Clotario in gratiam receptus, vnde Habspurgici.*

ac Procerum interceſſione ab exilio reuocatum in Clotarij clientelam conceſſiſſe, magni autores ſcribunt. exinde poſteaquam indolem Regi probaſſet Sigebertus, ſub annum DCXXIIX. *Alemanniæ* (quæ id temporis *Alſatiam* ambitu ſuo comprehendit) & *Transiurana Prouinciæ* (quæ *Heluetiam, Vindoniſſam, Ergouiam*) Comes inſtitutus eſt. & ſunt, qui his Briſgouiam atque Sundgouiam addunt. Qui rebus humanis exemptus, ditionem ſuam per annos duodequadraginta, quibus prefuit, multis partibus ampliatam, *Sigeberto continenti* in manum tradidit. Sigeberto ſucceſſit *Ottobertus*, cognomento *grauis*, qui Vindoniſſenſi caſtro ſeu Altenburgi ſedem plerumque fixit. is per Luitpergam, Gunzonis Sueuorum familia, opibus, clientela potentis Ducis filiam, D. Galli meritis à dæmonio vindicatam, ſibi deſponſam Briſachonienſi vetere Alemaniæ principatu auctus eſt, de cuius arce Briſiaco vir doctus Franciſcus Guillimannus in ſuis Habſpurgiacis; Briſacum Caſtellum maximè celebraſſe Comites Altenburgenſes, horumque poſteros ſumma claritate & gloria Duces Zeringanos. Non enim tantum nouis arcibus, & inter eas Zeringa, Briſiacam per circumiectos montes tamquam illuſtri corona redimiuiſſe; ſed in eâ, oppida aliaque à fundamentis exſtruxiſſe, alia turribus & propugnaculis condecoraſſe. In his exſtitiſſe *Friburgum*, cuius amplitudo & frequentia potentiaque Briſiaci ſplendorem breui obſcurarit Plura pariter monaſteria poſuiſſe; nihil intermiſiſſe, quod eſſet famæ Briſiacæ dignitatique conſeruandæ Hactenus Guillimannus. Porro Ottobertus, quo regionem ſuam opportunè præſidiis firmaret, in confragoſis & præruptis ſcopulorum rupibus, quâ per anfractus in Iuræ & Vogeſi confinio anguſta & nemoroſa via in Lotharingiam ducit, geminas arces excitauit, vt quoniam

al. Sigoprechto.
OTBERTVS.
Briſiacum à Zaringanis Ducibus ornatum.
Franciſ. Guill. l. 1. c. 7. Habſpurg
Zeringenſium Ducũ amplitudo.
Friburgum in Briſgoia conditur.
Tritem.
Iacob. Mel. in orig. Dõ. Auſtr.
Laz. de migrat. & orig Auſtr.
Zenocar. in vita Caroli V.
Franc. Bergomas de domo Auſtr
Pont. Heut. in Belg.
Vvaſſelc in antiq.
Pantal. p. 1. de viris illuſtr.
Franc Roſier de ſtem Loth. V. C.
Theoder. Pieſp.
Gevveil. de orig. Habſp

vtriusque ditionis finibus sitæ essent, propugnaculi instar forent, arcisque munitissimæ, ad hostiles incursiones arcendas. Harum alteram, ab loci vetustate Altenburgum dictam, S. Romaricus Sigeberti I. Habspurgensium Comitis propinquus ab Theoderico Burgundionum Rege, quod eum fœdæ libidinis lapsu contaminatum acrius reprehendisset, cum S. Desiderio & Columbano exsulare iussus, Sacræ anachoreseos sedem delegit. Subinde S. Deodati Cœnobio renouato, accolas in fide & pietate Christiana imbuit. quin & posteris temporibus locus ab eo excultus, *mons S. Romaric.*, vulgo *Rommesbergk*, haud longè à thermis plumbarijs manauit. At vero alteram arcem idem Ottobertus Habspurgum dixit, & consequētibus deinceps annis, propinquam Alsatiam ædificiis excoluit, ea maximè plaga, qua in Lotharingiam amœnissima vallis, ab illo *Ottobertinæ* appellationem deriuans, se aperit, haud procul ab Altenburgi & Habspurgi ruinis, vbi hodie *S. Theodati* florentissium Canonicorum Collegium exstat. Hæc propter antiquitatis notitiam, locique nobilitatem prætermittere consiliū non fuit. præsertim cum hi etiam riui sint, vnde Serenissima Domus Austriaca magno stirpis incremento profluxit. Cuius primam scaturiginem Clothario II. qui Sigebertum reuocauit, acceptam referunt annales. Tandem Clotharius Procerum comitiis Trecasses, mox Clypiacum indictis, habitisque, inter mortales esse desiit; vt numerosiores Chronographi adnotarunt, anno Virginei partus DCXXXI. vitæ & Regni XLIV. Monarchiæ XIV. perpetua quadam rerum felicitate, bellicis artibus, Religionis, iustitiæ, & liberalitatis laude suis carus, exteris formidabilis. *Vir*, vt Aimoinus loquitur, *patientia deditus, litteris eruditus, timoris Deo plenus, pauperibus necessaria tribuens, Ecclesiarum*

Altenburgū Habspurgu

S. Deodatus vulg. S. Diedolt. Romarimont.

Ottberchsthal.

Clotarij mort. Sepultura. & elogia.

Aimoin. l. 4. c. 6.

rum

rum Dei atque ſacerdotum vtilitati conſulens. &, vt alius vitæ Dagobertinæ Scriptor, cuius membranas aſſeruamus, exeſequitur; *benignum ſe omnibus, & pietate plenum oſtendens, belligerator inſignis, venationibus ferarum nimium aſſiduè vtens.* Tria illi cordi fuiſſe, Scholaſticus in appendice Gregorianâ notauit; *Pietatem, literas, Venationem.* Lutetiæ in D. Germani de Pratis ad Meridionalem Baſilicæ plagam, ex aduerſo Chilperici Parentis, ſolemni Regio tumulatus eſt.

N O T A.

De prima Sereniſſimæ Domus AVSTRIACAE origine variant Autores.

CVm antiquitatem, quod propius abſit à diuina progenie, mortales affectent, video pleriſque hiſtoricorum eueniſſe, vt, vbi lumen hiſtoriæ defecit, ipſi Gentis illuſtrandæ ſtudio nimis quam indulgenter falſa veris miſcendo, ſuis etiam commentis ſplendidiora familiarum initia facere laborarint. Ex quo accidit, vt malè efficta vrbium & arcium origines, inauditæ Regum progenies & nomina, aliaque ſexcenta id genus portenta è populari rumore ac fabulis collecta, prodierint. quos ſicut imitari non debemus; ita, dum aliena veſtigia ſectamur, & quæ magni probatique Auctores ſcripſerunt, repudiare nolumus; ſpem veniæ concipimus. Sanè qui primæuam Gentis Habſpurgicæ originem indagant, in tres potiſſimum claſſes tribui comperio. Prima eorum eſt, qui à Perleoniis montis Auentini Comitibus, quibus ex Aniciorum gente Petrus Leonis, Stephani Pont. Max. Nepos ſub annum Chriſti DCCXXII. vita functus cognomen dedit, Auſtriacam proſapiam longinqua ſerie deducunt vt cuius gemini Nepotes, ob coortam ſeditionem Româ profugi, penetratis Alpibus circa Lucernæ lacum, prædia & vrbes mercati, caſtrum eo loco, quo *Habſpurgum* hodie, quaſi *Auentiſpurgum* eſt, collocarunt. Aliam ab his viam longè diuerſam iniit Franciſcus Guillimannus, hactenus nemini omnium,

Tres ſententia potiores in prima Habſpurgicorum origine.

Prima Arnoldi de Vien. p. 1. ligni vitæ. & Ioannis Seiffridi Abb. Zvvetal. in Arbore Auiciana.

Secunda Guilimanni.

Franc. Guilim. in Habſp. l. 2. c. 5.

quos vidi, calcatam, probatamque, qui è peruetеris ſaxi fragminibus,& fugiente Charactere,nouis planè coniecturis,ab Theodibaldo ſiue *Velibaldo* neſcio quæ *Vindoniſſæ Comite*, (quem Aimoinus cum aliis Transluranum facit, *VVilibaldum* ſeu *VVilebaldum* nomine) Auguſtam Habſpurgicæ Domus ſtirpem euincère laborauit. Contra quos, tertiam numero & auctoritate potiores hiſtorici, iam olim ab Tritemio Spanheimenſi Vndetriginta laudatis teſtibus aſſertam ſequuntur, & à Merouingicis Francorum Regibus per Sigebertum Auſtraſium Teodeberti F. Childeberti N. Sereniſſimam Principum Habſpurgiacorum familiam, hodie Archiducalem, defluxiſſe, multis argumentis mihi quidem id temporis certum feciunt, quos edito nuper Habſpurgi Auſtriaci ſanguinis præclaro volumine V. C. Theodericus Pieſpordius, Sereniſſimis Belgicæ principibus à Secretis enucleatè aduerſus Guillimannum vindicauit. Quæ nobis explicatius tractare ardua res foret, & longioris diſceptationis, quam pro ſuſcepti operis modo.

Tertia Tritemij. Tritem. l. 11. de orig. Francor. Theod. Pieſp. in Stemm. Habſpurg.

Caput Octauum.

NOTITIA MONASTICA *Duorum in* ALSATIA *Cœnobiorum,* NEOVILLANI, & SCHVTERANI; *quæ ſub* CLOTARIO *II. fundata ſunt.*

POST MAVRIMONASTERIENSE inferioris Alſatiæ Cænobium, proximum, vt ſitu, viciniaque TABERNARVM; ſic antiquitate fuit NEOVILLANVM, ante DAGOBERTI ætatem, & SCHVTERANVM, infantibus eiuſdem annis in Mortenauia, vtrumque CLOTARII II. tempeſtate, conſtitutum. Illius originem paſſim

ad SIGEBALDVM referunt, de quo extat insigne Pauli Diaconi encomium, *fuisse vtilissimum Ecclesiæ suæ, præclaris ortum natalibus, selectissimum quendem Sacrorum culminum restitutorem, & (* quod olim in sepulcrali eius cippo insculptum fuit; *solicitum Ecclesiarum Dei renouatorem.* Eius vitam magnis virtutum laudibus, sed præcipue patientia inter grauissimos podagræ dolores illustrem, & quasi compendio exaratam, olim in lucem, si gratia cælo comes fuerit, proferemus. Hic ergo Sigebaldus, cum in ordine XXXVI. Episcoporum Mediomatricum Sedem occuparet, post Hilariacum, quod iam quidem ante in ditione Lotharingica ab S. Fridolino; sed ruditer, vt ætas illa ferebat, & festinatis operis, velut in transcursu conditum, ipse iactis de nouo fundamentis summo decoro expoliuerat; suisque impendiis ea magnificentia eductum cōsummarat, vt eius in hanc diem Fundator & autor merito habeatur. Alterum in Alsatia nostra, sexto sæculo inchoato, Basilica adstructa, & BB. Apostolorum Principum memoriæ dicata, Neouillæ exædificauit. Est autem Neouilla ad montem Scaurum, qui Alsatiam à cæteris Vosagi iugis disterminat, ad ameni & pisce prædiuitis riui lapsum, solo circum pratis & & pascuis iucundo irriguoque, vbi Sigebaldo autore, quondam sub D. Benedicti disciplina, religione, ac sanctimonia prænobile stetit Cænobium, fundis, vectigalibus, clientelis, amplisque olim possessionibus opulentum; at multis hodie partibus de truncatum. Quod deinde post mortem, à Sigebaldo VII. Kal. Nouem. sanctissimè obitam, longinquo annorum interuallo, Drogo Mediomatricorum item Antistes, Ludouico Pio Imperatore fratre clarissimus, & multarum virtutum meritis præclarisq; animi ac corporis dotibus apud Aimoinum, Sigebertum, atque Tritemium celebratus, sub annum

al. Sigisboldum.
Vid. vitam S. Sigebaldi Archidiac. hist. c. 50.

Anno 600. vt pleriq;.

Verbi incarnati DCCCXLVI. ad diem XVI. Kal.
Iun. Sacroſanctis B. Adelphi Antiſtitis exuuiis, magna ho-
minum frequentia, illatis, mirificè decorauit. Cæterum
labentibus annis, conſeneſcente ordinis rigore, & inun-
dantibus tum bellicorum tumultuum incurſibus, tum
variis hæreſeon & vitiorum monſtris, idem Cænobium
in Collegium Canonicorum, Monachis cucullum in
ſuppara tranſmutantibus, vertit, ſub Alberto Bauaro Ar-
gentoratenſi Præſule, Alexandro id appellationis VI.
Pontifice indulgente, adprobanteque. Cæterum Ruſti-
corum cum Lutherana inſania coniuratio, quæ ſuperio-
re ſæculo, magna ſua & aliena cæde, tum clade ſacris iu-
xta profaniſque miſerabili, Alſatiam noſtram per baccha-
ta eſt, expulſis etiam hoc loco incolis, prædaque abacta,
ſyngraphis donationum, veterumque penſitationum,
Diuorum reliquiis, & quidquid vſquam ſacrum, partim
ſacrilegè diſperſis direptiſque, partim ſubiecta flammâ
concrematis, tam feralem huic loco plagam intulit, vt
extra D. Adelphi ſacrum pignus, quod ſuo adhuc
mauſolæo integrum cuſtoditur, & vtriuſque tum DD.
Petri & Pauli, tum S. Adelphi Baſilicæ ſuperſtitis ſtructu-
ram, cæteroqui vix fractas tabulas colligere liceat. Qua-
re Schvterani Cœnobij aliquantò integrior for-
tuna, & ob ſimilitudinem argumenti recens memoria,
opportunè me ſollicitat, vt in eius quoque Conditorem
atque incunabula, quæ illi Clothario II. annũ Regni at-
que ætatis ſextumdecimum agente, DAGOBERTO
noſtro vix tum bimulo, ad Schuteram amnem, vnde no-
minis appellationem poſteris annis deriuauit, contigere,
inquiramus. Scio, non deeſſe, qui à primis ſeptimi ſæculi
annis, quibus Theodericus Francię regnum obtinebat,
eius originem accerſant, & S. Pyrminium, Meldenſem

Antiſtitem virum,vt quis alius,de Monaſtica in Alſatiam inuecta, reſtaurataque diſciplina benemerentiſſimum, autorem laudent; à quibus vt diſſentiam, iis adducor rationum momentis, quæ ad calcem Capitis adnotabo. Iam vt ad fontes veniamus; ex quo Gregorius Magnus Petri Cathedra, cœlo probante, ſub annũ Chriſti DXC. ſublimis, tamquam in ſpecula & arce religionis propagandæ, feruore & zelo iam totũ Orbem complexus, Auguſtino,Iuſto,& Mellito,Apoſtolicis Triumuiris,cum religioſo Cænobitarum agmine, id negocij dedit,vt in Britanniam, Scotiam, & Hiberniam contendentes, offuſas cæcis mortalibus ignorantiæ tenebras veritatis luce diſpellerent; illi continuò,nec ſegniter,maximis itineribus perfuncti,eas Gentes Chriſto lucrifacere cœperunt. Hinc anno ſalutis DXCIX. qui in Clotarij Regis duodecimum incurrit, Edilbertus Anglorum Rex cum X.millibus ſuorum,Deo ſecundante, Chriſti doctrinam vnaque baptiſmi fontem ſuſcepit. Ex quo illis Apoſtolico zelo inflammatis, quam aſpexerunt fidei lucem alio proferre, illius cauſſa longinqua maris & terrarum ſpacia emetiri, ac ſæpe etiam regali purpura trabeaque poſita, apud exteras nationes forma habituque peregrinorum, Euangelicam ſementem facere,Baſilicas & aras condere,Monaſteria,Xenodochia,& id genus domicilia dotare, ſolens ac ſolemne fuit,magno vbique gentium bono prouentuque animarum. Vid. infr. Notam.

In his, OFFO Anglorum Regulus,ſuſcepto cum ſociis in Germaniam itinere, multiſque peragratis regionibus,ſedem ad ripam Kentzingæ amnis Alſatiæ,qua trans Rhenum Mortenauiam complectitur,amæniſſima conualle locauit, & arce à fundamentis educta, nomen ei ſuum indidit *Offonispyrgum*; quod illi in hanc diem vna

al. *Offo*. nonnullis *Offanus*.

hod. *Offeburgt*.

cum insigni oppido inter decem Imperialia totius Alsatiæ perennauit; ibidem fodinis argenti repertis effossisque, monetã procudit, quæ hodie in manibus habetur, & patria voce ab Offone **Alte Offenburger**, ab Angliæ regno, vnde venerat, **Engellender Pfennig**, nuncupatur. in ea Angelus crucem manu præferens exsculpitur. quo cultu habituque primos Anglorum Apostolos incedere consuesse, luculentè testis est Beda. Eorum nummorum ingentem vim Argentorati, sub annum XXVI. sæculi proximè superioris repertam, aiunt, & ærario illatam, cum S. Claræ nobilissimum quondam Partheneiõ, (quod ab anno MCCXCIX. accitis eò Hagenoa Sanctimonialibus steterat) à plebe ad res cum fide nouandas concitatâ euerteretur. Iam cum Offoni multa superessent, quibus cæleste numen sibi demereret, amplissimasque opes, quibus Deo fæneraret, ad æternum aliquod pietatis monimentum impendere meditaretur, Româ, quò ad limina Principum Apostolorum, veteri & vulgato tunc maiorum instituto salutatum veneratumq; iuerat, redux, haud procul Offenburgo ad *Schuteræ* amnis præterfluentem, Cænobium, & augustam Ædem Sanctissimæ Trinitatis ac Deiparentis honori consecratam condidit, nomine illi de suo addito, vt *Offonis Cellæ* appellaretur; quæ illi nomenclatura annos ferè CCCC. hoc est, ad Henrici Claudi ætatem, & amplius, perpetuauit. Oritur autem Schutera non longè ab Schweickhusæ, quæ in Dominorum Gerolseckianorum ditione est, vico, ad siluæ Hercyniæ pedem; vnde sensim procedens, & circumfusis fontibus concitatior, plenam sui nominis conuallem leni tramite perlabitur: inde ab conspectu arcis Gerolseckianæ rectè ad occasum conuersus, & soli captus vbertate, supra Larense oppidum in duo brachia scinditur, partemque sui oppido immit-

tit,

Alte Offeburger.

vulgo **Offenweiller**

Schutterthal.

tit;altero extrorsum porrecto, donec mox iterum se cōmittens, post ambages anfractusque sinuosos magna procurrit auiditate, quousque in Rhenum prope Hunifeldam sese deoneret. Ad hunc amnem domicilio, vt diximus, magnificè constituto, quodque proximum erat, adgregatis compluribus sub D. Benedicti disciplina Sodalibus, & Pirpinio Abbate dicto, vicos, latifundia, vectigalesque prouentus in annonam cumulauit; insuper immunitates, ac priuilegia adiecit. vnde Cænobium ea sensim virtutis & censuum incrementa habuit, quæ si ad præsens integra mā̄sissent, paucis extaret per Alsatiam aut perfectionis laude, aut vectigalium opumque exaggeratione secundum. Postero autem sæculo, quod primigeniam fundationem proximè consecutum fuit, Sanctus Pirminius Meldensium an Metensium Antistes, vt in antiquus huius Ecclesiæ tabulis reperio, peregrinis Monachis comitatus, cum admirabilium operum & sanctitatis fama non huius tantum regionis; sed & Boicæ, Sueuiæ, Franconiæque oras, Caroli Martelli temporibus, longè latèque compleret, reuocata veteri morum seueritate, huic etiam Cænobio cum aliis plurimis per Alsatiam immortalem beneficentiæ perennis titulum reliquit; vt multorum à fundamentis autor, plurimorum autem restaurator merito prædicetur. Cæterum inter eos, qui post Ottonem salutari piaque largitione Schuterani Monasterij patrimonium locupletarunt, præcipuum temporis & officij dignitate locum habet DAGOBERTVS, qui S. Arbogasti, postea secundi post D. Amandum Præsulis, hortatu precibusque, locuples illi prædium Herlisheimense, quod bihorio abest Colmariâ, cum agrorum mensura, certisque terminis liberaliter attribuit. de quo in antiquas Cænobij tabulas relatum istis verbis: *DAGO-*

S. Pirminius Alsat. Monast. & Schuterani restaurator. circiter ann. 727.

Dagoberti

donatio facta Schuterano Monasterio.

BERTVS Francorum & Germanicorum Rex, suasionibus S. Arbogasti Episcopi Argentinensis, curtem, seu prædium in pago Herlisheim *Basileensis Diœcesis, dono dedit anno Domini DCXXX. statim post fundationem Offonis; quam Monasterium possedit ad annum Domini MCCLXXXIX.* ex quo tempore Schuterani DAGOBERTVM, & ARBOGASTVM, inter alios sui Cænobij Patronos, hoc est, cũ Pirminio Meldensi, Eberhardo Bambergẽsi, Offone Rege, & Henrico II. Imperatore connumerant. vt vel hinc ruat eorum opinatio, qui illis alium ab Offone Fundatorem appingũnt. Quia vero donationum huic Cænobio impensarum exempla suppetunt plurima; ne fastidium afferat vbertas, aliquid Principum virorum splendori tribuam, qui præclaram beneficæ pietatis laudem hoc loco abstulerunt. Nam Otto cognomento Magnus, ius fasque Abbatem è suis creandi dicendique, quod hactenus penes Francorum Reges manserat, liberum Schuteranis, Ewihardo primum, postea Folckerno, Monasterij gubernacula moderantibus, fecit, hac verborum serie; *Quandocunque præmemoratus Abbas ex hac luce migrauerit, habeant Fratres liberam potestatem inter se eligendi alium, quamdiu inter eos talis inuenitur, qui eorum propositum secundum regulam S. Benedicti valeat bene regere. anno,* vt panchartæ loquuntur, *Dominicæ Incarnationis DCCCCLXXV. Indict. III. Anno Regni Ottonis XV. Imperij VIII.* Diplomate *in Erstein dato,* signatoque. Quam quidem Ottonis concessionem Henricus Sanctus Imperator deinde ratam habuit, vbi Ecberto Cænobiarchæ, quem nominat *Venerabilem Abbatem Cænobij, quod vocatur Offonis VVeiler, & est constitutum in pago Mortenaugensi super fluuium Schutera; datam huius,* vt vocat, *Electionu & Defensionis* syngrapham *manu* sua, appressoque augustali *signo roborauit,*

Otto Magnus in Schuteranos beneficus.

Henricus II. Imp.

III. Nonas Nouemb. Anno Dom. incarnationis MIX. regni gloriosissimi Henrici Regis VIII. Actum VVormatiæ. Idem Henricus, sicut excellens huius beneficij præmium, ita regiæ munerationis, dotisque Schuteranis liberaliter impensæ consummatam quandam gloriam vel cum primis sibi vendicat. Etenim cum è Basileënsi Vrbe huc delatus, atque in oppido Schuterensi pernoctans, partim Alsatiam, partim hoc Cænobium, regificis olim muneribus amplissimum, at proximè superioribus annis ferali flamma vastatum, nunc misere perire cerneret, Eberhardi primi Antistitis Bambergensis consiliis & deprecatione, vindicem se præstitit priscæ religionis, & magnificentiæ, non huic solum; sed & vicino Gengenbacensi Monasterio, quod trisæclo Henrici aduētum antegresso RVTHARDVS Alsatiæ DVX fundarat, dotaratque, restituendæ. Quare additis nouarum pensitationum censibus, magnis vtique & amplis, excellens sanè erga Schuterani Cænobij salutem ac gloriam studium regiè professus est diplomate, quod supra laudato Eckberto dedit, anno post Christi natalem MXVI. regni XIV. Imperij III. Indict. XIV. Bambergæ. quo inter alia; *propter remedium,* inquit, *animæ nostræ, parentumq; nostrorum, nec nō interuentu & petitione Venerandi Præsulis Eberhardi, cuidam suo pauperi Monasterio, Offonis Cella dicto, donat immunitates in* Heiligenzel, *vnam villam* Ruckersweyler, *dictam, vulgò Cellam S. Georgij, & mansum vnum, & curtim Dominicam suam in alia villa, quæ dicitur* Swirsenheim, *in comitatu Bertholdi, in pago* Mortinaw, *& sex mansos in villa, quæ dicitur* Blabodelsheim, *in comitatu Eberhardi, in pago Alsatiæ, item in superiore* Schopffen *cum decimis & omnibus pertinentiis, in* Sinßwiler/Kirtzel/Almenßwiler/Ottenheim/*cum omnibus iuribus & attinentijs, cum terris, pratis, pascuis, fore-*

Henrici dotatio.

stis, censibus, siluis, aquis, aquarumque decursibus, &c. Quam largitionem pari pietate Conradus cognomento Saliquus, Henrici successor, eodem Eberhardo Bambergensi Antistite, virtutis & prudentiæ fama inclyto, adlaborante, firmauit. Corbeiæ, Anno Christi MXXIV. Indict. VII. pridie Idus Ianuar. sanciuit, vt Regimboldus & eius Successores, vnaque Abbatia, futuris temporibus, Episcopo Bambergensi iure feudi subiiceretur. Atque hinc factum est, vt ob hasce rerum copias, beneficiaque Cænobio impensa, Schuteranus Abbas Cænobij comitiis legitimè delectus, ab Episcopo Bambergensi Inuestituram, vt vocant, perpetuo iure capessat.

Cur Schuterani & Gengenbacenses inuestiantur à Bambergensi.

Nec firmando Schuterensi Cænobio Sedes Apostolica defuit, Gregorio V. Innocentio II. Leone VIII. & Nicolao IV. memorandæ virtutis Pontificibus; qui singulari eximiaque immunitate illud in Apostolicæ Sedis tutelam acceperunt, sancieruntque, vt quisquis beneficium poneret, huic in altera vita præmium; qui maleficium, ei diuinæ vltionis piaculum obueniret. Deripere quoque de facultatibus eius, nemini impunè esse voluerunt, proposita anathematis pœna, si quis contra niteretur. Plures deinde Argentinenses Præsules, à quibus Schuterani sacrum ius deriuant, illustria super electione, decimis, libertate prisca, & cæteris Monasterii exceptionibus priuilegia, Cænobio addicta, roborarunt. quod ab Erckenbaldo, cui *Altrich* cognomentum fuit, Ottonis Magni tempestate, cui ob memorandam virtutem, vti & Adelheildæ Coniugi erat in paucis acceptissimus, item ab Conrado & Ioanne tum otissimum factum accepimus, quando superiorum temporum felicitatem iteratus Vulcani furor lacrymoso incendio domi exorto funestauit. Quo eodem tria sui Ordinis Monasteria, videlicet *Fuldense* in Buchonia,

Schuterani Argentinensis Diœcesis.

Conflagratio Cænobij

Sancti Galli in Sueuia, & in Alſatia *Schuteranum*, deflagraſſe deplorat Tritemius. Qua etiam in ſerie locum commendationis Nobilis *Burnerorum* proſapia meretur; qui, vt è vetuſto Mortuario Codice excerptum habemus, ſtirpem ſuam hoc in Cænobio immortalitate donarunt, quod magno numero & fructuoſam & ſempiternam frumentationem ad victum Cænobitarum procurarint. In quibus omnium famoſiſſimus ſui memoriam expoſcit ſempiternã, Hermannus loci ABBAS, qui & Cæmiterium conſecrauit anno MCCLXXXIII. die XIX. Kal. Decemb. eiuſque lapides terminales inciſis pictiſque crucibus diſtinxit. & ſub idem tempus Baſilicam, ab incendio rediuiuam per Ioannem Epiſcopum Laconienſem, Conradi Argentinenſis autoritate ſacratiſſimis cærimoniis rite dicatam, ſex Altaribus inſtruxit, & in eiuſdem Eccleſię, mutata licet fabrica, primo tamen ab incunabulis loco, quo Fundatoris Offonis tumulus fuit, niſi quid fallor, ſolito in ſaxo tres venerandas inſculpſit imagines; quarum media geminis loci Cænobiarchis, Hermanno & Friderico Deceſſori inſerta, magnum habet argumentum Regis quondam hic tumulati. Etſi non ſum neſcius, Kẽtzinganos & Endingenſes Cænobio vicinos, tanta illum contentione ſibi quondam arrogaſſe, vt Baſilicæ & monimento manus inferre, ac violenta inuaſione diripere deliberatum habuerint. quod diſſidium ita exarſit, vt deinde nõ niſi per Henricum Marchionem Hachburgenſem, itemque Waltherum illuſtri Gerolſeckianorum ſatu editum diremptum ſit. Iam quia effigies nobis adhuc in memoria, ac pæne in oculis, media, quam Regis eſſe diximus, ſceptro & Anglicano trium ſcilicet Leopardorum auro fulguratum inſigni, conſpicua, hanc præfert aureis literis exſculptam epigrapham; REX OFFO FVNdator

Tritem. an. 938. in fund Mon. Hirſaug.

Reſtauratio. per Hermannum Abbatem.

Anno 1304.

DATOR HIC SEPVLTVS. alterorsum hinc & hinc latus gemini Præsules ambiunt; vnus amictu Pontificali citra infulam, pedum dextra gerit, lęua turibulum; fimbria tale continet præconium in orbe descriptum;

HERMANNVS ABBAS FFCIT ISTVD NOVVM OPVS. Cui ex aduerso respondet pari habitu decoroque, si turibulum adimas, statua alterius Præsulis, hac verborum inscriptione in extima vestis ora;

Sanguis Christi miraculosus Schuterā illatus an 1268.

ABBAS FRIDERICVS PRÆDECESSOR HERMANNI ABBATIS. Sed iam finem faciam; modo inter diues Sacratissimorum pignorum gazophylacium huius Cænobij, in longè eminentes preciosissimi Christi sanguinis guttas, ex Maiori Ecclesia Argentinensi quondam per Hemannum Abbatem Schuterano Cænobio illatas, vel digitum intendero. quas reuerenter habuisse maiores, tum ex addita veritatis syngrapha religiosè custodita, liquet istis verbis; *XVII. Kal. Decembris apud Monasterium Schuterense translatio Sanguinis D. N. IESV Christi, & aliarum multarum reliquiarum.* tum è certis pænarum condonationibus elucescit, quas vnicuilibet eas piè veneranti de inexhausto meritorũ Christi atque Ecclesiæ fonte Ioannes Legatus Apostolicus in hanc sententiam deprompsit;

FRATER IOANNES de Ordine Teutonicorum D. G. Laconiensis Episcopus, omnibus Christi fidelibus præsentium inspectoribus pacem in Domino sempiternam. Quia, secundum verbum Sapientis, in thesauro absc ondito nulla est vtilitas, *& secundum verbum Euangelicum,* lucerna supra candelabrum est ponenda, & non sub modio; *nos precioso & incomparabili thesauro, ad quẽ nec*

cælestis,

cælestis, nec terrestris creatura potest nec debet aliquatenus comparari; videlicet precioso sanguine Saluatoris & D. N. Iesv Christi *apud Monasterium dictum* Schuteren, *Ordinis S. Benedicti, Argētinensis Diœcesis, considerato venerabiliter & inspecto, cogitanimus omnium Fidelium mētes ad præfati sanctissimi thesauri venerationem & reuerentiam de cætero prouocare; dantes vniuersis, qui ad respectum vel tactum incomparabilis thesauri, ad præfatum locum deuotè venerint, & D. N.* Iesv *Christi clementiam humiliter implorauerint, centum dies criminalium, & annum venialium. Et hanc indulgentiam de consensu R. Patris ac Domini* Conradi *D. G. Argentinensis Episcopi ratam & approbatam, sicut in suis patet instrumentis, vniuersi nouerint confirmatam. Datum Argentinæ sub Domino* Hermanno *tunc* Abbate *præfati loci. Anno Domini MCCLXXXIIX. in die B. Bartholomæi Apostoli.*

Atque hinc factum est, vt ad anniuersariam illati thesauri diem, quotannis feria VI. post octauam Paschatis agitari solitam, qua illum cum aliis proferri, ac publicè honorari solemne fuit, à primæuo instituto ingentes incolarum accolarumque concursiones fierent; quæ tamen nunc cum ardore pietatis nimis quam refrixerunt. Interim eiusdem Sacrosancti pignoris celebritas impulit virum omnigenâ eruditione eximium Conradum Summehart de Calaw Tubinganum (qui anno salutiferi partus MDII. scriptorum monimentis publicè editis clarus, ad diem XIII. Kal. Nouemb. vitâ functus tumulum in Schuterano Cænobio reperit.) vt de sanguine Christi scriptum, ad hanc diem typis ineditum, quod in Bibliotheca Schuterensi extare vidimus, daret, posterorum pietati conseruandæ augendæque. Cuius sola fragmenta, ne & ipsa in abolitis habeantur, quando

veterem ſpirant religionem, his adſcribere viſum fuit. verbatim ita habet.

Non eſt repugnans fidei Orthodoxæ, affirmare, Redemptorem noſtrum aliquid de ſanguine in paſſione effuſo, ob paſſionis eius memoriam in terris reliquiſſe. Qui eſt I. in domo Fratrum Minorum, Xantenſis Diœceſis, prouinciæ Turonicæ. de quo extat bulla Papalis Pii IV. data Romæ. anno Incarn. Domin. MCCCCLXI. XV. Kal. Aug. II Locus Pariſiis. In Chronicis Regum Franciæ traditur, quomodo idem Sanguis Chriſti ad Reges Franciæ venerit, & quis eum collegerit. III. locus Romæ in Eccleſia Lateranenſi. IV. locus, Mantua, apud Marchiones Mantuæ. V. in Sabaudia apud Marchiones Sabaudiæ, vbi eſt ſudarium Chriſti rubricatum ſeu tinctum ſanguine vel cruore Chriſti. VI. locus Norimbergæ eſt, vbi ſunt Lancea & claui, quibus adhæſit ſanguis Chriſti. VII. eſt Vincentiæ apud Prædicatores, vbi eſt ſpina de corona Chriſti. ſimiliter & Pariſijs eſſe dicitur corona tincta ſanguine. præterea de columna, in qua flagellatus fuit, cruore eius tincta. Additque *in Monaſterio boni Lapidis PP. Cartuſianorum Conſtantienſis Diœceſis partem vidiſſe lintei valdè tenuis & ſubtilis; quodque peplum eſſe aiunt B. Virginis, in quo etiamnum appareat ſanguinis tinctura. Quam theſauri partem Mechtildis Archidux Auſtriæ pientiſſima fœmina magnis precibus ab Alberto Auſtrio obtentam eis legauit.* His adiungenda erit inſignis Sudarii portio, Chriſti ſanguine ſparſim translucẽtis, quæ Eberſpergæ in Societatis IESV domicilio aſſeruatur, authenticis teſtificationibus comprobata. Sed vel cum primis toga Saluatoris inconſutilis, quæ Auguſtæ Treuirorum in Sacro primariæ Eccleſiæ gazophylacio magna religione colitur. quam cum intentiùs quandoque coram è propinquo luſtrarem, vidi Sacratiſſimi cruoris non obſcuras notas, telæ rarenter inſperſas; eaſque

exinde mansisse vero est propius, ex quo futurorum præsagus Dominus ac Vindex noster Oliuetum subiens sanguinis guttas in agone desudauit. *Totum hoc*, ait Summerhardus, *intellige de naturali sanguine Christi, non de miraculoso.*

At hæc è tot flammarum & bellorum cladibus, seu casu sinistro, seu proposito quodam dinino, seu denique insignitâ hæresis prauitate huic Cœnobio inflictis, emersa, atque exambustô libello deprompta, id temporis & loci paucis delibasse, satis esto. cum iusti tituli volumen sola *Monasteriorum Alsaticorum* materies, si pro dignitate tractetur, deposcat. Sed nimirum semina spargimus. quæ vtinam felicibus ingeniorum aruis exculta, cum tempore in spicas & culmos adolescant.

NOTA.

OFFONIS Primi Schuterensium FVNDATORIS vindiciæ.

IOanni Tritemio, Viro pio, docto, & in sui Ordinis perscrutanda antiquitate assiduo, vt, qui reconditam ex omni memoria monimentorum gazam explicuit, multum debet erudita posteritas. Hic, cum alia multa per Germaniam & Galliam Cænobia; tum hoc, de quo mox egimus, Schuteranum ad vetustissimam originem reuocans, S. Pirminio Meldensi Episcopo, quem alii Proepiscopum Metensem faciunt, adscribit. Ita enim lego apud Tritemium; *Monasterium Schuterense, quod tribus supra Argentinam Alsatiæ Vrbem constat milliaribus, idem S. Pirminius fundauit, quod in originali volumine vitæ ipsius, quod penes nos habemus, clare scriptum inuenitur. Nec obstat, quod eiusdem Cœnobij Fratres, nulla veritatis documenta ostendentes, dicunt, Offonem Angliæ Regem, dum Romam deuotionis caussa peteret, S. Gregorij Papæ primi temporibus, loci amanitate prouocatum, in eo constituisse Monasterium; cum Rex Offo, & eius frater (sicut supra diximus in Rege Hildeberto) Romam petierint, & Monachi facti fuerint, anno Domini DCCVII. Indictione Romanorum quinta. Sanctus autem Papa Gregorius, sub quo isti dicunt Regem An-*

Ioan. Tritem. l. 1. cõpendij annal. in Theoderico LX Rege Franc pag. 61. & in Childerico R.

Vid. Paul. Voltzium apud Francisc. Guil. in Episc. Argent.

glia Offonem venisse Romam, prius obierat anno Domini DCV. Indictione Romanorum octaua. Pro assertione nostra Sigebertus testatur in Chronicis. Hæc Tritemius. Sed eximenda hæc opinio, quam passim comperior apud exteros Scriptores inualescere, vnᵉ ferè Tritemio innixos, Ac ne minuta leuiterque congesta censeas, pleraque primariæ notæ monimenta, cum hospes apud Schuteranos agerem, à me curiose visa obseruataque percensebo. Igitur pro

Argumenta pro Schuteranis.

I. Offone pugnant membranæ & syngraphæ veteres, quarum fragmẽta antiqui Codices custodiunt. hæ, præter *Offonem*, neminem præterea laudant conditorem; imò ipsa Cænobii appellatio *Of-*

II. *fonis Cella*, siue Wiler, vt ex citato Henrici diplomate liquet, exinde Cænobio adhæsit ad vsque Regimboldum Abbatem, qui Conradi Salici ætatem vixit. His accedunt insignia Cænobii,

III. quæ planè Regem genu nixum atq; Basilicam Deiparenti Virgini offerentem repræsentant. suffragantur item nobis moni-

IIII. menta publica statuarum, picturarumque, cum insignibus Regum Anglicanorum, quæ passim per Monasterii septa ob oculos incurrunt: in quibus præstat Mausolæi sepulcralis imago, Offonem loci Fundatorem exertè loquens. præterea Anniuersaria

V. Fundatoris memoria, in perueteri Schuteranorum mortuario hac verborum formula consignata; XIX. Kal. Febr. Commemoratio OFFONIS Regis Angliæ, Fundatoris. quo tempore moribus Cænobitarum antiquis receptum, post vigilias è psalterio, & funebrem psalmodiam pridianis horis decantatam, iusta illi ceu Fundatori ad Sacrosanctam Dei aram solemni liturgia more maiorum persoluere; de hinc venerabundo agmine ad iam memoratum Offonis mausolæum procedere, ibi per stata precum piacularium, cæterosque in Ecclesia Dei vsurpatos ritus

vulgo Ritterspend.

optimi Parentis animam Deo commendare. tandem pro defuncto agapen in pauperum turbam magno numero oppidatim pagatimque adfluentium, largiter erogare. Denique supra recensita DAGOBERTI munificentia, huic Cænobio centum prope annis ante Pirminii accessum impensa, illud iam tunc extitisse conuincit. Nec obstant, quæ Tritemius D. Pirminio ad-

Tritemio respondetur.

struendo protulit. Nam vnico vitæ S. Pirminii Scriptori, quem in manibus se habuisse Tritemius testatur, siue Otlonus ille fue-

rit,

rit, siue ab illo alius, qui Schuterani Cænobii initia ad D. Pirminium refert, tot veteres Scriptorum syngraphas, quot etiamnum apud Schuteranos superstites sunt, oppono. Illud etiam aduertamus licet, S. Pirminium, quod multis locis vacillantem D. Benedicti disciplinam ad primigenium vigorem, quem in S. Mauri Andegauensi Cænobio hauserat, reuocarit, quodque semiruta Cænobiorum, Theoderici Regis Caroli Martelli, & aliorum Principum, quorum ætate Pirminium floruisse constat, beneficentiâ instaurarit. denique, quod in pleno Episcoporum Alemaniæ Franciæque consessu, omnium consensione *Magister & disciplinæ instaurator* sit habitus, merito complurium Cęnobiorum, quę iam ante constituta fuerant, quasi *secundarij Fundatoris* famam apud posteros meruisse. De Offone autem, quod secundo loco mouet Tritemius, non sum nescius, alium cognominem (quem nonnulli *Aspham*, alii *Opham* appellarunt) extitisse apud Sigebertum, & in primis Bedam, aliosque recentiores, Anglorum item regulum, qui sub annum Verbi incarnati DCCVII. ipso iuuentę flore, Coniugis Chinesuuithę hortatu, cuius nuptias iam spreuerat, cælestes doctus suspirare amores, vna cum Fratre Choret, (Sigeberto Choreth, Bedę Choenrodo) Romam profectus, ibidéq; vt Beda ait, *à Papa Constantino detonsus & Monasticis vestibus indutus*; demum anno DCCX. *cælica regna deuotus conscendit*. Itaque, quod in aliis factum videmus, hęc nominis, imò & vitę morumque similitudo Tritemio imposuit, vt duos Offones sęculo integro distinctos vnum fecerit. Neque iniuriâ veteri liceat, ne in hoc, vti & in aliis quibusdam Alsatiæ Monasteriis, nominatim NEOVILLANO, & MAVRIMONASTERIENSI, quorum Conditores iam commendauimus, Tritemio velut in transitu incuriosius eorum origines peruolanti, quiddam humanitùs obrepserit; præsertim cum autorem habeam libelli, quem Schuteranum Cænobitã, sed Anonymum, fuisse suspicor, qui se anno MDII. Tritemio affuisse scribit, triduumque cum eo morantem, nihil quidem in huius Cænobii Fundatore Offono vindicando perspexisse, vnde ab sua suorumque sententia dimoueretur. Sed iam viam è diuerticulo repetamus.

Vid. Sidera SS. & vitæ S. Pirm. c. 10.

Arnold. Vvion. lign vit. l. 4. p. 2.

Beda l. 2. c. 19. & 20.
Herm. cõtr. in Chron. ad an. 709.
Matth. Vvestmon. an. 710.
Xannus
Maff. Camer. Chronic. Mundi l. 14.

Caput Nonum.

DAGOBERTI Magni ortus, pædia, & iuuentutis Moderatores.

Append. hist. Franc. l.11. c. 46. Ionas in vita S. Colũbani. Steph. Abb. in vita Modoaldi. Sigeb. in Chron. Otto Frisin. l.5.c.16. *Dagobertus nascitur.*

BERTRADA, ex illustri Burgundionum stirpe, præclaris animi & corporis dotibus fæmina, Clothario, vti diximus, connubio iuncta, DAGOBERTVM id nominis I. Francorum Regem, cui postea *Magni* cognomentum accessit, sub annum salutis per Chrstum restitutæ Sexcentesimum secundum, mundo dedit. eius natalis finitimarum etiam Gentium animos lætitiâ compleuit. Cumq; intelligerent optimi Parentes, inanem omnem curam esse, nisi à primis annis ceræ instar tenera ætas informaretur, culturam Regio EPHEBO adhibere antiquissimum duxerunt. visumq; est ad eam rem so licitare viros, non minus vitæ integritate, quam prudentiæ opinione excellentes, quos pro comperto habebant, nullâ regnandi cupiditate (quæ iura omnia, atq; imperia turbare solet) teneri, quiq; feroces ætatis imbecillæ impetus optimis præceptis frænarent: nec moribus tantũ institutisque maiorum probatis; sed litteris etiam ad sapientiam erudirent. Et DAGOBERTVM pueritiæ annos gnauiter in studijs exercuisse literarum, luculentè testis est Aimoinus. Erat sub idem tempus par insigne Magnatum; qui sicut præcipuum dignitatis gratiæq; locum in aula obtinebant, sic altissimæ prouidentiæ Duces, augustale Clotharij palatium virtutibus mirificè illustrabant. B. ARNVLPHVS Austrasiæ & Mosellaniæ DVX, Arnoaldi viri totius Franciæ nobilissimi ex Blitilde Clotharii I. Francorum Regis nata filius, Ansberti Nepos; & PIPINVS, Carolomanni senioris Brabantiæ ac Tungrorum Ducis ex Itta religiosis-

Studiũ literarum à pueritia adducitur. Aim. l.4. de gest. Franc. c.17. PIPINVS & ARNVLPHVS DAGOBERTI *Moderatores.* ARNVLPHI *elogia.* Vid. Bedã l.3. Aimoin. l. 4. c. 17.

sima

ſima fæmina, S. Modoaldi Trenirorum Antiſtitis ſorore germana, ſoboles Pipini Iunioris auus; ambo Sanctimoniæ laude præter inſignem prudentiam eminentes; quorum benefacta vel compendio hic recenſere, nō erit importunum. Et ARNVLPHVS quidem magnis opibus ac clientelis potens, bonus olim militiæ Dux, id nominis & fidei apud Clotarium fuit, vt ex *Maiore Domus Palatij* vnus ſex prouincias adminiſtraſſe cum laude ſcribatur; quæ diuiſis quondam imperiis à pluribus regi ſolebant. Connubij legibus ſolutus, cum Doda Gunzonis Su: uorum Ducis filia, Arnulphi ſanctiſſima coniunx, illecebris mundi abdicatis, ſponte ſeſe Treuiris diuino obſequio manciparet, monaſticen in D. Mariæ Cænobio annum circiter DCXXIV. profeſſa, ipſe, poſt Lirinenſis Cænobij rudimenta, Cathedræ Mediomatricum, vel nolens impoſitus, religioni tam impenſè ſe dedidit, vt in palatij militia, quam Clotarij potius mandato, quam ſua voluntate obibat, vitam meditari cœlitum, & diuinis humana obruere crederes. Aſſiduo flagrabat precationum, abſtinentiæ, & vigiliarum ſtudio. Pauperum & inopum querimoniis ærumniſque promptus & liberalis ſic aderat, vt patrimonio profuſo, annoniſque palatinis conſumptis, vel Eccleſiæ ſuæ theſauris minimè parceret. Vnde ad vſque diſcum argenteum diſtractâ gaza Clotarium Regem excitauit, vt diſcum aureis centum nummis redemptū S. Stephani Protomartyris Mediomatricum Patroni gazophylacio redhiberi vellet. cibos egenorum turbæ ſuis manibus miniſtrare, iis quandoque veſcentibus mediis aſſidere, ſolari, erigere, ſolens illi erat. Crebris editis ab ſe miraculis famam virtutis auxit. Leproſum, quem cæteri deſpicerent, ſacro Baptiſmi fonte purgatum, ſimul a lepra mundauit. Regi Reginæque in arduis reip. negotiis

ſic

Baron. in Not. Martyr. 18. Iul. & in annal. ad an. 615. Vicent. in ſpec. l. 23 c. 72. & ſeqq. Sur. tom. 4. 15. Aug. qui eſt tranſlatio. Paul. Diac. l. 6. de geſt. Long. c. 6. Anton. t. 2. c. 6. t. 13. Franc. Roſier. t. 3. Stem. Loth Molan. in addit. ad Vſuard. Galeſin. 18. Iul. Arnol. de Vviō, lign. vitæ p. 1. Friſing. l. 5. c. 9.

DODA. *Eius Coniunx Cænobiū ingreſſa, Chriſto ſe deuouet.*

Sigeb. an. 640.

S. Arnulphi dotes.

ſic operam probauit ſuam, vt diu noctuque Arnulphi conſilia ceu oraculum adirent. Hinc inuidia ex nimio virtutis locique ſplendore exorta, Præſulis innocentiam, quam honeſtè obſcurare non poterat, per calumniam, vt fit, acriter oppugnabat. Nocendi viam, teſte Iona Abbate, qui per ætatē ſpectaſſe potuit, aperuerat factio Nottonis, qui, cum igne cælitus miſſo ſemel correptus eſſet, tandem cum filio ſceleris publicè reus, id morte luit; & vtriuſque calamitate documentum datum ceteris, calūniam ipſis auctoribus eſſe exitialem. Inter hæc vt proximum gratiæ locum apud vtrumque Regem obtineret, nunquam non Arnulphus ad vitæ tranquillioris bona magis atque magis aſpirare, ac identidem Vogeſi ſeceſſus, ſalutandi conciliandique Numinis cauſſa petere. quin & Epiſtolis & nunciis crebrò ad Clotharium miſſis miſſionem ab aula flagitare. Extat pars literarum in ſinceriore vitæ memoria, quas Rex ſuper his ad Arnulphum dedit: *Hoc quod per Epiſtolam veſtram, Domine Pater, rogare voluiſtis, vt in loco veſtro alter ſubſtituatur Epiſcopus, nullatenus noſtra præſumptio facere præſumit; ſed potius omni deuotione rogamus, vt ſi in bonorum operum exercitio vitam alicubi ducere deliberatis, apud populum vobis commiſſum, ſicut cœpiſtis, conuerſando, exemplum ei ſitis promerendæ ſalutis.*

Studium vitæ Anachoreticæ.

Atque ita Arnulphus, humillima quæque tutiſſima iudicans, tam ſtudioſè fugiebat honorem in fructu, quam alii eum in damno cupidè affectantur. Nec Arnulpho vitæ Sanctimonia concedebat PIPINVS, cognomento de Landis, trium Francię Regum ex ordine CLOTHARII, DAGOBERTI, & CLODOVÆI Maior Domus, quem Auentinus *Maroſalicum* vocat, quaſi *Maiorem Salicum* corrupta voce diceres. Hic prę̨ter morum gra-

Ger. Marſchalck. al. Comites ſtabuli.

uitatem

uitatem, generis ſplendorem, toga potens & armis, ſed religione inprimis exculta inclytus, Chriſtiani Ducis menſuram omnibus numeris abſolutiſſimi implebat: ſed & æternum illi accreuit encomium, tribus Regibus ſine regio diademate ita præluxiſſe, vt & Regum moderator eſſet, & inter ambitioſam regiminis adminiſtrationem, minime tamen regalibus ſceptris inhiaret. Itaque Pipinus iuris & æqui ſeruantiſſimus, palatinis muneribus præcipua fide, ſedulitate, induſtria præfuit; animi magnitudine atq; ardore æquitatis, turbatores reip. immenſum premebat. Summos cum mediis, atq; cum his infimos, legibus armatus ac firmatus auctoritate regia, æquabili iure deuinctos tenebat; nemini vt impunè fuerit, qui vel ſacroſanctas leges violare, vel vnum quẽlibet de populo lædere auderet. Nihil ſub eo ambitioni peruium, nihil pecuniâ venale erat. tollendis ex aula regnoque diſſidiis vigilantiſſimè, vel ſui capitis oppoſitu intendebat; iniuriarum Deo ſuperiſque illatarum vindex ſemper atque vltor acerrimus. Pauperum inopiam quotidiana ſtipe & liberali largitione vſque ad ſui deiectionẽ promptus ſubleuabat. Leproſis, & omni morbidorum generi ad exemplum Arnulphi conuiua erat; imò à cubiculis. nec Religionis inter hæc oblitus, Cænobiorum complura vel ſuis excitauit impenſis, vel prouentibus auxit. Quibus virtutibus ſtrenuè adhibendis, quam proximè ad cælitum conditionem ſe admouebat. Apud homines autem, vt populorum aurã & plauſum minimè captaret, eam tamen gloriam conſequebatur, quæ virtutis comes eſt; vt non apud Reges tantum & proceres præcipuum gratiæ & autoritatis locum occuparet; ſed proletariis etiam & cuilibet è vulgo acceptiſſimus eſſet. Neque pigebit, Stephanum Abbatem veterem Pipini encomiaſten compendio, ea, quæ dixi, exe-

PIPINI virtutes eximiæ.

Steph. Abb loco cit. Baron. t. 8. Ann. Sigeb. in Chron. Nauel. gener. 21 & 27.

quentem adtexere; ita enim infit, fuisse *Pipinum probatissima vitæ & purissima fama, vti qui esset Sapientiæ domicilium, consiliorum thesaurus, defensio legum, controuersiarum finis, munimentum patriæ, decus curiæ, via Ducum, & disciplina Regum.* His igitur moderatoribus, magna religione & regiis virtutibus regale DAGOBERTI pectus imbuebatur. & vterque acribus stimulis palabũdum adolescentem in viam reuocabant, cæteris ferè in assentationem effusis. Sed præcipua laborum seges erat, frænum lasciuienti licentiæ iniicere, quo præcipitem à flagitiosa vita reuocarēt. Enimuero cum mollem eneruati adolescentis libidinem, & insatiabilem auaritiam grauiter subinde Pipinus, pro eo ac decebat, increparet, odium, grauissimum atque indiuiduum in magnis imperiis veritatis assеclam immerito sustinuit. vt salutares voces non modo respueret DAGOBERTVS, sed, (quod cæcis amoribus insanientium est) monitorem suum, cuius liberas increpationes ægrè ad aures admittebat, clam internecioni dare destinatum haberet. Verum tanti flagitii comes futura infamia impetum reflexit. Arnulphus quoque, tum quod pridem pœnitentiam aulæ professus, ab eadem abstinere haberet præiudicatum, vt qui vitæ tranquillitatem tot molestiis potiorem arbitratus iam olim seculi abdicationem meditaretur; tum quod ex arcano prouideret, se monitis suis minimè Regi proficuum esse, missionē ab DAGOBERTO efflagitans, adeo eum perculit, vt exasperatione iraque tumidus exerto mucrone Spiritalem Medicum non nisi saucium ab se dimittere cogitaret. tum vero Arnulphus, vt cui conscientia probè gestorum, metum omnem excludebat, animo imperterritus, se, ait, cui fidem adstrinxerat, officio defuisse nunquam, Regem à teneris in spem regni diligenter eduxisse,

Encomium Pipini.

DAGOBERTI in lasciuiã inclinatio.

Eius in Monitores asperitas.

duxisse; pro patris iure optima quæque imperasse; pro ætate, qua maior esset, consuluisse; reuocaret ad sobrietatem animum, beneficia in memoriam reduceret: quæ si in ludibrium vertat, ingratum DAGOBERTI animum orbi testatum fore. hoc dicto peruicax iuuenis pectus ita molliuit, vt Rex, Regina, Proceres, confertim noxæ veniam precati, sanctissimis tandem eius postulatis volenter concesserint. Ita sunt veritatis radices amaræ, fructus suauissimi. & sanè vsus docuit, nullius rei grauiorem apud Principes penuriam esse, inter continuos, quibus omnes aulæ partes personant, assentantium plausus, quam veritatis. Ambidextros fuisse ambos reperio, qui aulam subinde repetentes, iam Regi fluctuanti in hoc freto auxiliares manus porrigerent, fructu molestiam compensante; iam solitudinis adminiculo refugi, mētem denuò cælestibus redderent, quibus insueuerant. quod institutum alios item, qui DAGOBERTI æuo floruerunt, tenuisse, ex iis, quæ in loco de Amando, Arbogasto, & Florentio literis mandabimus, manifestum fiet. Denique in Arnulphi ad Vogesi eremum anhelantis locum, summa Clotharii voluntate CVNIBERTVS, Mosellanorum Comitum prosapia spectatissimus successit; qui Dei prouisu à teneris in aulam adscitus, principio infra generis claritudinē vilissimis mancipiorum officiis destinatus, eousq; generosā humilitatē cælo & aulæ probauit, quoad diuino monitu ab his initiis ad omnia Regis familiaria iura assuefactus, conceptam de suis virtutibus spem in eam doctrinæ & sanctitatis frugem educeret, qua post palatina munera primum quidem Treuiros Archidiaconus, postea loci, Vbios Sanctissimis moribus illustrauit.

Vid. Gemlac. l. 6. hist c. 7.

CVNIBERT*us* *S. Arnulfo Eremum ingresso, succedit in Aula.* *Annal. Colon. MSS.*

Archiepiscopus Coloniensis.

NOTA.

De instituto MAIORVM DOMVS in Franciæ regno, eorumque autoritate.

CVm prope omniũ consensu *Maiores Domus* (quos Cedrenus Προέδρους, Isidorus *Prouisores Aulæ regiæ*, Onuphrius Vice dominos vocat) in vicem Præfectorum Prætorio, ab Cæsaribus Romanis institutorum, & hi in Magistri equitum peditumque locum à Gallicanis Regibus suffecti sint; de singulis, quæ antiquorum monumenta literæque suggerunt, modicè quid delibabimus, vt amplitudo *Maiorum Domus* è Romana notitia clarius elucescat. Principio Magistros equitum peditumque, stante Romana Rep., temporibus Dictatorum fuisse, autor est Dionys. Halicarnassæus: quorum splendorem æstimet is, qui ex notitia Imperii meminerit insignia & bellicum apparatum, quo seorsim illustres præcelluerunt. Nam peditum Magister, præsentatis siue, vt aiebant, in præsenti, (quia in Comitatu Principis plerumque degebat) præter legiones, classes, auxilia, quæ in potestate habebat, Comitibus VIII. Ducibus limitum XII. imperitabat: at Magister equitum, supra Cuneos, diuersas sub se vexillationes siue palatinas siue Comitatenses XL. & vnam habuit. Vegetius autem, qui sub Valentiniano Iuniore ætatem vixit, iam suo tempore Alam equitum vexillationem dici cœpisse, scribit. At vero postea Rep. in Augustum & successores Cæss. inclinante, ad vicem Magistrorum equitum Præfectus Prætorio plerumque vnus, raro plures instituti sunt. Hinc Gallia sub Romanis, ad vsque tempora Constantini, sub Præfecto Prætorio Galliarum fuit. In quorum dilectu cingulum cum gladio dari ab Imperatore solitum, testis est memorabilis illa vox Traiani, qui cũ Præfectum suum cingulo donatum gladio armasset, dixisse fertur, *Si è rep. imperauero, pro me; si secus, in me vtere.* Porro Constantinus Magnus, victo occisoque Maxentio Tyranno, amplissimam antea dignitatem Præfectorum Prætorio, vnà cum Prætorianis Cohortibus, sicut & XV. legiones, quæ, ad indomitos barbarorũ nationum animos coërcendos, Rheni Danubiique ripas insidebant, exautorauit; tum quod contra se pro Maxentio stetissent,

Dion. Hal. l.5. antiqt. Xiphil. in Nerone & Comm. Notit. Imp. Occid. & ad eam Guido Pãcirol. c. 20. & 25. Onuphr. de vocum Ecclesi. obscur Vid. Lazium l. 1. c. 2. de Rep. Rom. Rosin. l. 7. antiq. c. 33. Petrum Fabrum l. 1. semest. c. 1. Plin. in Paneg.

tum

tum vt grauiſſimo ſtipendio Imperii vectigalia liberaret. In quorum locum deinceps nouam Orbis Romani diuiſionem inſtituens, eundem in IV. partes ſiue Diœceſes tribuit; & pro vno, IV. Prætorio Præfectos eſſe ſanciuit, penes quos bello paceque ſumma eſſet autoritas: duo in Oriente res gerebant, totidem in Occidente; horum alter Italiæ præeſſe cœpit; Galliæ alter, contributa Hiſpania, quam per Vicarium gubernabat. ad hos liberum erat à Præſidibus prouinciarum prouocare, at à Præfectis ad Imperatorem appellandi omnis facultas interdicta; quod crederent Principes, eos, qui ob ſingularem induſtriam explorata fide & grauitate ad huius muneris amplitudinem adhiberentur, non aliter pro ſapientiæ ac dignitatis luce iudicaturos, quam coram ipſi Principes eſſent. Vnde etiam ad hos ſumma rerum conſiliorumque redire ſolita erat. horum imperia cuncti reſpiciebant; iura accipiebant populi; quin & leges ab iiſdem ferebantur. Cæterum Francorum Reges, Gallia bello ſubacta, excuſſoque Romani imperii iugo, Præfectis Prætorio abolitis, *Maiores Palatii* ſiue *Domus* cum ampliſſimæ poteſtatis iure ſubrogarunt, natiuo idiomate *Maire du Palais* dictos. quorum eſſet, exercitus ducere, Duces ordinare, Regni limites tueri; atque, vt Paulus Diaconus ait, *onus regnique curas ſuis humeris ſuſtentare*. denique quidquid Regibus agere mos fuit, pari propemodum poteſtatis amplitudine gerere. Atque hinc negotiorum immenſitas intelligitur, quæ Maiorum palatii humeris incumbebant; & excellentia Pipini atque Arnulphi, DAGOBERTI Regis Moderatorũ, quorum fidei & prudentiæ grauiſſimæ Regni functiones creditæ. Porro Carolus, qui à magnitudine rerum geſtarum nomen meruit, abolitâ dignitate *Maiorum Domus*, (qui ſub Clodouæo II. DAGOBERTI noſtri Filio, & poſteris eius, inſolenti dominatu pollebant, Regibus nomen inane gerentibus) eorundem loco biſſenos Franciæ *Pares* inſtituit, quorum Concilium hodieque *Parlamentum* appellamus.

Aimoin. l. 3. de geſt. Franc. c. 4. & 57. l. 4. c. 5 hodie *Le grand Maiſtre* Ger. Marſchalck. Paul. Diacõ l. 6. c. 16.

Caput Decimum.

DAGOBERTI Magni prætexta, & pietatis erga S. DIONYSIVM occasio.

DAGOBERTVS in ætatis flore, turpi exẽplo animum fœdissimis amoribus inquinatum, potius assentatoribus, (quorum magnus in aulis Principum numerus esse consueuit) corrumpendum, quam Sanctissimis Moderatorum præceptis & disciplina ad pietatis studia conformãdum tradidit. & est difficile, in iuuenili ac lubrica ætate summam potestatem ac rerum omnium licentiam ratione virtuteque frænare. Neque tamen ideò curam eius omnem, vel iuuentutis Magistri, vel cælites abiecerant. Siquidem DAGOBERTVS, solemni Principum instituto, venationi indulgens, Ceruum inter siluarum abdita deprehensum, atque à canibus agitatum per accliuia decliuiaq; montium, & cis citraque amnes occurrentes pernici cursu peruadantem, adusque vicum *Catullianum* (quod illi nomen *Catullam* magnarum laudum fæminam; sed inprimis susceptis reconditisque beatissimorum Martyrum exuuiis clarissimam indidisse, produnt Parisini annales, insecutus est; Deo Sanctis suis, altum iam pridem delitescentibus, nouam gloriam parante. Erat ibidem Sacrarium in subterraneo specu humili ædicula, situ & vetustate obsitum, ab S. Genouefa, vt vetus traditio memorat, rudi opere quondam constitutum, quo S. Dionysii Areopagitæ & Sodalium sacra lipsana iam à quingentis, & quod excedit, retrò annis attinebantur. nec dubium, quin ab iis temporibus, eorum cum veneratione memoria

Aimoin. loc cit. Naucler. vol. 2. gen. 22. Chron. Reginan. l. 1. Alber. in vita S. Sigeb. MS. vita S. Dagob. habet Catulliacum.

moria exoleuerit, quibus sæua persecutorum procella in Christi cultores excitata religionem prope omnem in Galliarum Regno exstinxerat. quo factum, vt temporum atque vetustatis iniuria sacratissimus hic locus, dumis ac vepribus siluescens ignotusque omnibus iaceret. Quin & Diuorum mausolæa, ruderibus veterum ædificiorum latè expansis, ac demum tellure ingesta, succrescentibus herbis prati formam habebant. Huc ceruus intimo pauimento receptus, ac velut ad asylum profugiens, soloque defixus, ceu iam periculorum securus quieti se dedit. instare interim Venatores, Canes foris allatrare, ferocire, ringi; aditu tamen, vt maximè laborarent, prohibebantur, ædiculam suam tutantibus Sanctis.

Quæ res DAGOBERTO Regi, dum spectaculo adest, admirationem simul ac pietatem erga locum cumulauit, vt religione tactus non tantum à vulnere abstineret; sed & ædiculam subiens, suspensis interim incertisque obsequiorum animis, euentumque foris præstolantibus, ipse genibus nixus Dei opem venerabundus implorârit. Secundum hæc, extat & illud nouo religionis argumento inprimis commemorabile. Habebat DAGOBERTVS Pædotribam Sandregisilum, Clothario parenti ab arcanis consiliis, atque vnicè carum; & ab eodem, Ducatu Aquitaniæ, iure beneficiario donatum. Is dum arrogantia tumidus DAGOBERTVM per conuiuium intemperantiùs tractasset, adeò ferocem adolescentis Regis animum exasperauit, vt iniuriam altè animo recondens, proxima die, qua Clotharius venationi operam dabat, Sandregisilum mensæ suæ admotum, conuictumque contumaciæ, per summam apud Francos ignominiam contemptumque, reuinctis post terga manibus, lacerato virgis MS. vita Dagob. c. 2.

corpore,

corpore, insuper detonsa coma, barbaque rasa turpiter dehonestari iusserit. Qua tam insigni contumelia Sandregisilus tantum accepit dolorem, vt Clotharium ab venatione reducem cruentus adiens, tutelam insuper & vindictam oraret. tulit eam rem permolesto animo Parens, atque hæsit tantę crudelitatis imagine; itaque demum iracundiâ efferbuit, vt DAGOBERTVM continuò accersitum grauissimis exemplis multaturum interminaretur. frustra proceres animum Regis ad ignoscentiam inflectere nitebantur; nullæ vel intimorum ad aures preces admissę. Nec mora, DAGOBERTVS Regia Domo profugus iisdē se latebris abdidit, quibus nuper ceruum à canum rictibus præsens asylum reperisse meminerat, loci non tam munitione, quam sanctitate fisus; illudq; putans, si forte interim subsidēte Patris irâ, moræ spacio veniam impetraret. interea loci mittuntur, qui filium è latebris productum Regi sistant. mirum dictu. simul loco adpropinquarunt, quasi cælo tacti constitêre, nec pedem intrò inferre, nedum violentiæ quidquam adferre poterant. Interea DAGOBERTO, post fusas ad Deum preces, Diuosque siqui adessent propitiatos, somnò consopito offertur secundum quietem species virorum augustior, quam pro humana conditione, qui se olim Martyrio inclytos, eius loci Præstites ac patronos præfati, adolescentem Regium bono animo esse iubent, nec de Patre conciliando dubitare: illud insuper effati sunt, si sacra eorum lipsana loco, quem designabant, adscriptis Dionysii & Sociorum Martyrum nominibus eruderanda maiore religione curaret, non modo præsente periculo defuncturum; sed & solio regni post Clotharium sublimem fore; præterea inferorum suppliciis olim ereptum iri. DAGOBERTVS ad has voces excitatus, iamq; certus diuinæ

voluntatis, fiduciæ ac religionis in cælites plenus vota nuncupat, ſi vitam hoc periculo Diui eripiant, iuſſa facturum. Nec ceſſat interibi, aliis aliiſque immiſſis, vrgere parens, qui manus actutum iniicerent. Cumque rei ſeriem denunciantibus fidem derogaret, ipſe in rem præſentem veniens ſimul ædem attigit, eodem veſtigio hærens, ingreſſu ſe arceri cælitus ſentit; nec antea loco moueri potuit, quam veniam delicto facturum polliceretur. Igitur emollita penitus animi efferueſcentia, ſacro præterea horrore defixus, indignationem admiratione, odium humanitate mutauit: & quem diuina ope furori ſuo ereptum intellexit, illicò vbi in conſpectum venit, ſepoſitâ irâ mitior, noxamque non ſine lachrymis adſtantium condonans indulgentiſſimè habuit. quin & Clotharius ipſe Sacræ Ædi ſucceſſit, & Diuorum patrocinio, fuſis ad Deum precibus, ſe ſuaque obnixè commendauit. Nec multo poſt, DAGOBERTVM, vti quem cælo curæ eſſe viderat, Auſtraſiano Regno extra Arduennam donatum, Regni conſortem dixit, non tamen exæquata prorſus poteſtate; ſed vt primas Patri daret, atque in hoc flexu ætatis præſidio æquè ac ſolatio adſiſteret. Aimoin. l. 4. c. 8. Baron. t. 8. Append. hiſt. Franc. l. cit.

NOTA.

De pœna decaluationis & flagellationis apud varias gentes, ignominiæ plena.

INter grauiſſimas pœnarum non ſolum apud Francos, ſed Romanos, Germanos, Anglos, Wiſigothos, Longobardos fuit, *decaluari*, & *flagellari*. Nam de Romanis Suidas teſtis eſt, cùm Domitianus Neruam velut imperium affectantem relegaſſet, Apollonium Tyanæum Neruæ amicum totondiſſe, vinctumq; in iudicium adduxiſſe, *vt ex voluntate Principis congruam ſtultitiæ caſtigationem acciperet*. & Luitprandus de Legato; *verberibus*, inquit, *cæſus, crine tonſus pœnas dabit*. ſic ſpeculo Saxon. certi fontes Suid. in Domitiano. Luitpr. p. 15

Tac. lib. de moribus Germ. Beda in Mart. 12. Kal Oct. Ioan Biclar in fine Chron. vid. Marian l. 5. c. 14. rer. Hisp. vid. Agath. l. 4. Nicet. Choniat. l. 2. Cedren. in Iustino. Vid. Codicem Legū Antiq. l. 1. Longob. t. 17. L. 5.

dicuntur per *cutem* & *crines* condemnari. ac teste Tacito, apud veteres Germanos adulteram abscissis crinibus nudatam coram propinquis, & expulsam domo per omnem vicum verbere vir agebat. apud Anglos, vt ait Beda, tyrannus martyrem iussit *decaluari & radi in turpitudinem*, & apud Wisigothos Biclariensis autor est, Argimundum regnum affectātem, quæstione acriter habita, primum verberibus interrogatum, deinde turpiter decaluatum, post amputata dextra, in Vrbe Toletana, insidentem asino, vniuersis exemplo fuisse. quin & Wambæ Gothorum Regis clementiæ adscribitur, quod vrbe Tolerana in ditionem redacta, Victor satis habuerit, *rebelles capite & barba rasis, nudisque pedibus*, atque *pannosos* ad triumphalem currum anteambulones cerneret, Paulo factiosorum duce, coronam è nigro corio capiti impositam gestante. Estque Longobardorum legibus sancitum, adulteros in pænam decaluandos & fustigandos. Quorum vtrumque partim ad subsannationem, partim ad ignominiam pænalem spectat, quasi fatui ac degeneres, vel conditione, vel suo delicto in seruorum numero habendi sint. Non igitur mirum, DAGOBERTVM, ob tam insignem ignominiam Sandregisilo intentatam, grauissimam sibi parentis offensam conciliasse.

Caput Vndecimum.

DAGOBERTI Toga virilis. vita lubricitas. Regimen.

Aimoin. l. 4. de gest. Franc. c. 11. & c. 19. & 40. Append. ad hist. Franc. l. 11. c. 56. Sigeb. Chron. Papir. Masson. l. 1. ann. Franc. Bar. t. 8.

IGitur Clotharius DAGOBERTVM iam vigentem ætate iuuenem, magnorumque spirituum, & progressu quodam ductuq; annorum ad excelsum amplitudinis gradum crescentem, Alsatiæ præfecit; illud sibi reseruans, quod Arduenna & Vogesus excludebantur. quem annos iam natum XXIII. gratia paternis meritis habita, fauor procerum, & plebis approbatio mirificè commendabant. inprimis vero auspicatissimum Austrasiani regni

prin-

principium, quod ab æquitate, iustitia, prudentiaque duxerat; eoque virtutum tenore incredibilem à suis gratiam, apud exteras nationes eam nominis celebritatem consecutus, vt multitudini iuxta ac Principibus carus, iam tum Principatus excellenter administrati laudem obtineret. Certè gloriosum illi erat, dissidiorum ac litium in tota Europa quendam velut communem Irenarcham ac Caduceatorem videri. Exinde Parens ex *Sichilde* Coniuge (quam post mortem Bertrudæ anno Christi D C X V. obitam duxerat) auctus filio *Ariberto*, vt quam maximo posset pignore ac necessitudine totam domum sibi deuinciret, DAGOBERTO Clypiacum haud procul Lutetia Parisiorum excito, Gomatrudem Sichildæ Reginæ germanam iustis nuptiis, ludis festisque apparatu celeberrimo agitatis, publica omniũ lætitia in manus dedit. Verum tertia nuptiarum die, turbulenta Patrem inter & filium altercatio exorta est; DAGOBERTO vniuersa, quæ antiquitus ad Austrasiam pertinebant, extorquere laborante. nimirum animus mortalium inexplebilis est præsentis vitæ muneribus, semperque ad vlteriora contendit. at ex aduerso considerabat Clotarius, nusquam etiam inter coniunctissimos satis fidam esse potentiam, quæ nimia est. Enituit verò postea loci inter bissenos Arbitros (qui quod constituerent, hoc ratum iusque sibi fore Clotarius sanciuerat) *Arnulphus* Mediomatricum Præsul; conuentumque salubri consilio, vt Clotarius, quidquid cis Ligerim in prouinciæ partibus situm esset, id retineret; cætera DAGOBERTO cederent. Hac turbela, vti diximus, compressa, vti sunt volubiles adolescentium animi, DAGOBERTVS ab optimis regni auspiciis degenerans, tributis imperandis, mulctis publicè ac priuatim indicendis, honoribus & magistratibus vænum-

Clotharius post Bertrudæ obitum Sichildem ducit.

Dagoberto Gomatrude desponsa

S. Arnulphi Metensium Episcopi autoritas.

datis, ingentem vim pecuniæ compilauit; atque, vt est minor inter vitia religionis cura, dum vitæ licentiam præcipuum imperii fructum arbitratur, Ecclesiarum redditus ab auaro Rege, bonis nequidquam obnitentibus, interuersi, & ex earum prouentibus regium patrimonium locupletatum est. illud tamen præcipue in corruptis DAGOBERTI moribus passim vituperatur, regias animi dotes, quæ magnæ in illo fuerunt, fæda libidine contaminasse: & tradunt, adeò fuisse mulierosum, vt quâ iter faceret, gregem petulantium fæminarum, quibus ad flagitiosam voluptatem abuteretur, pessimo publico circum duceret: quem inolita flagitij consuetudo & impunitas in scelere ferè ad vsque adultam ætatem retinebat. cæterum hanc fædam notam singulari erga egenos beneficentia, & Ecclesiarum substructionibus eluere conabatur. Inter hæc Rodoaldum, Arnulphi & Pipini hortatibus, apud Austrasios domo nobilem, magnis honoribus extulit. At ille monitorum, quibus eum *S. Arnulphus* ad omnem honestatem erudierat, immemor, fluxu temporis ambitione, vt fit, abreptus, ad omne flagitium audax, per vim ac nefas in diuitias tum publice tum priuatim inuolabat. quibus rebus DAGOBERTI animum exasperauit, vt accedente susurronum calumnia, & multorum erumpentibus odiis, apertè omni gratia præcipitatum vita eiicere cogitaret. Quo comperto, *Rodoaldus* stratis ad celerem fugam equis Clotarium adit; eoque deprecatore veniam malefactorum filius adpromittit; modo tamen ea pænitudine recenseret. At cum non diu post *Rodoaldus* Treuiros cum DAGOBERTO concessisset, destinatæ cædis consilium, quod in gratiam parentis tantisper abiecerat, Bertario Scarponensi Comite, Regis mandato caput à ceruicibus pro palatii foribus resecante, impleuit;

Dagobertus ab optimis moribus degenerat.

Rodoaldū persequitur, & cōficit.

pleuit; vt quem aſtutia plus valere ſuſpicabatur, quam ſibi tutum putaret. Inde ad Vangiones Erconoaldum propinquum ſuum prouinciæ Comitem ſibi ſubſtituit, Parthenonis Mariani in Berona Fundatorem. Dehinc nunciata Clotharii morte, DAGOBERTVS lectiſſimis quibuſque, quorum voluntatibus propter communem originem & expertam virtutem maximè fidebat, adhibitis, quam primum ex Auſtraſia in Neuſtriam & Burgundiam maximis itineribus, tum ſtudio parentandi patris manibus, tum ad paternam hęreditatem atque amplitudinem cernendam, properauit. Qui ſaluberrimis Antiſtitum conſiliis, & Ducum pręclara ſtipante coronâ, quos comitate, officiis, beneficentiâ iam pridem ſibi deuinxerat, vniuerſi *Regni* ſtudia excitauit. nec recuſatum ab vllo fuit DAGOBERTI imperium, cuius indolis, æquitatis & prudentiæ fama iam tum ingens ferebatur. Itaque vetere Principum inſtituto, qui celeberrimis quibuſque ciuitatibus, quarum claritudine commendatio ſibi accederet, imperium auſpicabantur, quod in Vitellio apud Agrippinates ineunte Tacitus, Seuero Carnuti Spartianus, Saturnino Alexandriæ, Proculo Lugduni ſceptra capeſſentibus, Vopiſcus & Aurel. Victor animaduerterunt; ſic DAGOBERTVS Auguſta Remorum Vrbe, Pontificum ac Sacerdotum placida prece, fauſtiſque omnium acclamationibus, magno Procerum affluxu, Regium diadema ſuſcepit, anno poſt Chriſtum natum DCXXXI. cum vndetrigeſimum ætatis annum ageret. Et celeritate opus erat ad præoccupandos Prouincialium animos, ſtudiaque concilianda. nam in regno capeſſendo duos corriuales ſenſit, *Brunulphum* Sichildis Reginæ nouercæ ſuæ fratrem, Ariberti auunculum; (qui cum ſuæ factionis hominibus regnum modis omnibus *Ariberto*, cuius tu-

Tacit. l. 1. hiſt. Spartian. in Seuero. Vopiſc. Ado in Chr. a. æt. 6. Gerard. Mercat. Tritem. de Orig. Frãc. Pap. Maſsõ. & alii cit: Chrõ. Rheginonis. Sigeb. Chronic. Nauel. volũ. 2. gener. 21.

Remis ſceptra capeſſit Dagobertus.

telam gesserat, destinabat, excluso DAGOBERTO) & *Aribertum* ex Sichilde iam dicta fratrem. Atq; *Brunulphum* quidem, vt est fœcunda gignendis inimicitiis ambitio, hoc eodem temporum interuallo hostilia molientem, & ex abrogato imperio grauius irritatum, diu vestigiis omnibus ad necem quæsitum, vt iam dicturi sumus, immissis ex condicto percussoribus, internecioni dedit. *Aribertum* vero, qui meliore iure nitebatur, studio & precibus procerum, qui in *Ariberti* fauorem inclinabant, ad Regni consortium adlegit, Aquitania illi tributa; itaque cum eo pactus, vt sola Aquitaniæ administratione citra regium titulum contentus, nil quidquam posteris annis contra DAGOBERTVM moueret. Videlicet impatientissima est consortis potestas, quæ non minima imperiorum labes semper fuit. Aribertus igitur principatus sedem Tolosæ figens, maiore quam putabatur imperii proferendi studio, Vasconia sibi ad ripam Ligeris amnis confine acquisita, ditionem felicibus armis propagauit; DAGOBERTO Austrasiis, Burgundionibus, & Neustriis dominante. qui grato initio regnum cupiens auspicari, in Burgundiam profectus, eam prouinciam maleficijs omnibus; sed illorum maximè immanitate repurgauit, qui in tenuiorum fortunas grassabantur. & sublatis latrociniis, quorum licentia è superiorum temporum turbatione orta erat, itinera aperuit, leges, iudicia, & pacem postliminio reuocauit. dehinc Lingonibus ac Diuionensibus obitis, malorum caluuione pariter sublata, leges sanxit, fora constituit, iudicia & magistratus ordinauit, prorsus vt vitæ cultioris studio per DAGOBERTVM inuecto nouam prouincijs facem ac lucem oriri diceres. Nec caret illustri ad imitationem & memoriam exemplo, quo Principibus viris præfulsit, quando viduas

Dagobertus magnis virtutibus sibi conciliat.

pupil-

pupillosque coram æquissimis auribus audiuit, iisque singularem quandam, optimorum Principum instituto, patientiam & benignitatem impendit: quibus rebus vulgi animi maximè capiebantur. Diuione vero Cabilonas iter adornās, dum balneum matutinus ingreditur, Amalgario, & Arneberto Ducibus, Wilibaldo item Patricio in mandatis dedit, vt Brunulphum, quem supra designauimus, maiores, quam pro conditione, spiritus gerentem, quemque in caput & perniciem suam conspirasse cognorat, vi manuque obtruncarent. inde Cabilone, Augustoduno, Antisiodoro, amplissimis vrbibus peruagatis, atque vbilibet turpi ac tætri odoris exhausta sentina, optimis easdem legum institutis temperabat. vt verbo dicam, quacunque se DAGOBERTVS ferebat, subditis ac bonis lætitiam, seditiosis ac contumacibus formidinem cum potestate circumferebat. At vbi per Senonas Parisios deuenit; & inibi aliquam fessis rebus lucem attulisse visus est. Cæterum assentatoribus (quales multi in Principum aulis viuunt, melioribus tantum prosternendis ad summa euadere soliti,) animun in libidinem inflammantibus, Romuliaco villa constitutus, Gometrudâ Reginâ sibi olim per *Clotarium* desponsa, nuptuique tradita, ob sterilitatem, vt prætexebatur, temerè scilicet & immeritò repudiata, *Nanthildem* Sandregisili Magistri Equitum sororem, Christianæ pietatis ac religionis regulam voto professam, è Cœnobio raptam, atque inter pellices aliquamdiu habitam, innuptis nuptiis sacrilegè sibi copulauit: hoc vno nobilem futuram, quod prolem sanctimonia illustrem ediderit; vti cum tempore narrabitur. Ita publico documento DAGOBERTVS sanciebat, difficilius esse etiam rerum Dominis, in rerum omnium potestate semet atque intestinas animi cupidi-

Dagobertus in libidinem pronus.

Nanthildem Sanctimonialem ducit.

Dagobertus Monitorum salubrium impatiens.

tates ratione, quam remp. & exteros legibus frænare. Ne vero his tam fluxis DAGOBERTI moribus curam Moderatorum desideres, narrant autores (*Arnulpho* in Vogesi eremo solitariam vitam complectente) *Pipinũ* & *Cunibertum*, suasionũ & diuinæ virtutis machinis, quæ peruicacem animum flectere possent, nequidquam admotis, laborasse; quin & *Amandum* postea Tungrorum, & primum Argentoratensium Præsulem futurum, acriter in se inuehentem, intimis auribus adeò non percepisse, vt solum vertere iusserit. qui *Elnonensis* interea Cænobij parens, animis Christo adducendis eò vsque incubuit, quamdiu Regem his blanditijs irretitum aduertit.

Sur. t. 1. vitę SS 6. Febr. Sigeb. Barõ

NOTA.

De Ducum, Marchionum, Comitum dignitate & appellatione, DAGOBERTI æuo vsurpata.

FIdei proximum est, inter Palatinas dignitates, *Ducum*, *Marchionum* & *Comitum* appellationem, eadem initia incrementaque per Hispaniam, Galliam, Germaniamque obtinuisse. quorum in Galliis sub Clothario & DAGOBERTO nostro crebra mentio in ciuilis magistratus significatione extare cępit. Duces antiquitus appellabantur, qui vrbem, quique regionem aliquam militari præsidio gubernabant. & quoniam ad hos loco Principum summa rerum respiciebat, habebantque potestatem cudendæ in stipendium monetæ, hinc factum putant, vt aureus numus vulgò *Ducatus* vocetur. Marchiones; qui regni limites ab exterorum incursibus defenderent. quos Nicephorus *Μαρχισίων*, & à vernaculo nostro Marck, id est, *limite* seu *termino*, germanicè Marggrauen Gregorij Turonensis æuo dicebant. Sicut vero *Marchiones*, Duces limitaneos Rhenanus & Althamerus interpetrati sunt; ita nonnemo *Marcomanos* quasi limitaneos homines dixit; quod populi, qui Bohemiam, Austriam, Morauiam incolunt, *Marcas*, siue limites Germanorum aduersus Hungaros & Sarmatas tuerentur. & ab iisdem regionem Austriæ inferioris, Marckfeld/ & Marck dici adnotant. Reiicit tamen hanc deriua-

Annales Pithœi. p. 12. Aimoin. l. 4. c. 109. & l. 5. c. 2. Append. Greg. Turon. Alth. tit. 79. Glossar. Latino Thetisc.

tionem

tionem Andreas Alciatus, & Celtico vocabulo, *Marcomanum* dici asserit, hominem quemlibet equitatu præcellentem; additque ex Pausania, triplicem Equitum ordinem, à Celtis, qui sub Brenno stipendia merebant, *trimarcisiam* dictam. Quod si obtinet, nescio, an credibilius *Marchionis* nomen ab equestri peritia primo dum deriuatum, postea Longobardis rerum in Italia potentibus, & Francis dein Regibus, in propriæ iurisdictionis ac dignitatis vocem transierit. A quo non abhorret, quod verbo supra indicauimus, Celtica & Franca voce equitatui per territoria proficiscenti in vetustis MSS. nonnullis *marcare*, vernacule Marschiren adhesisse. Addere poteram Iacobi Curionis coniecturam, à Chaldaico מָרְשַׁל, quod *Dominum potentem* significat, è Babilonia in Franciam transportato deduci. Sed eam Lectori permitto. Ego nihil reperire potui, quod certam eius fidem faciat. Comites dicti, qui vel sub Ducibus prouinciæ partem cum imperio moderabantur, vel in bello alicuius functionis primariæ curam gerebant, vel in Regia Principum honorem aliquem cum potestate obibant. Vnde in re militari castrisque *Comites cataphractarij, Clibanarij, Sagittarij.* Domi, *Comes palatij* (qui idem cum *Maiore Domus* plerisque, vt etiam supra notabamus) vtque Romanis Imperatoribus sub Constantini Magni ætatem, quod ex Notitia Imperii liquet, *Comes Sacrarum largitionum*, qui stipendiis militaribus præerat, quiq; ad memoriam posteris confirmandam, imaginem Principis, monetæ imprimi curabat, quam hodie Gnadenpfennig vulgo dicimus. qua nominis appellatione Iustinianus Imp. ille iuris, quo hodie vtimur, conditor, apud Sigonium Constantium *Illustri* titulo condecoratum, laudauit; vti & Theophilum Virum *Clarissimum, Comitem Sacri Consistorij, & Iuris in Alma Vrbe Doctorem. Comes rerum priuatarum*, cui, vt Pomponius Lætus autor est, rei familiaris Cæs. procuratio incumbebat. vnde & magna eius vulgò autoritas *Comes Sacri Patrimonii*, qui Cæs. patrimonium curabat. & id genus alii magna autoritate pollebant. Easque comitiuas elargiri, pro beneficio ac fauore Imperatoris fuit; quibus qui afficerentur, vicem Legatorum obiisse, ex Vegetio, Cassiodoro, Eusebio apud Alciatum comprobari potest: sic Regum Franciæ temporibus

Alciat. l. 1. parerg. Iur. c. 27.

Iacob. Curio in reb. Chronol.

Codex Legum Antiq. Fr. Lindebrogi cum Glossar.

Sigon. an. 520.

vid. Spiegel in exeg. Iurid. l. 1.

Pomp Læt. de Mag.

Veget. de offic.

Sur. & alib.

Cassiod. l. 6. & 7.

Euseb. vita Const.

Alciat. de dignit.

Q variis

variis in palatio extraq; illud munerib' Comites perfunctos constat. In exemplo sit vetustum Diploma possessionum Cænobii Dionysiani, per DAGOBERTVM cõstituti, quo *Iudicẽ Fiscalem* vernaculè *Grafionem* nominatũ Suggerius adnotauit; sic prouincialem Comitem Landgraffen, *Marchia* seu limitanium Præsidem Marggraffen, & Comitatum *Graffiam*, Anglicanis Comitem *Greue*, etiam quondam appellatum mediæ ætatis formulæ loquuntur. Atque hæc omnia forte ex Romani imperii æmulatione nata sunt, Gallorum Gothorumque Regibus, sicut Romanæ potentiæ ex asse successerant, ita honorum nomina ex Romano more libenter vsurpantibus; illo tamen discrimine, quod primitùs Duces & Comites temporarii magistratus nomina fuerint, annorum numero, quibus præesse deberent, præfinito; postea vero, aut Regum indulgentia, aut potestate imminuta, & crescente Præsidum beneficiariorum potentiâ, facta sint hæreditaria. quod plerique ad Hugonem Capetum referunt; qui posteaquam è potestate Ducum *Comitumque* accisa, & minutis tantum quibusdam oppidis definitâ, Præsidibus se inuisum aduertisset; vt aliquam eorum gratiam recolligeret, *Ducatuum & Comitiuarum* honores perpetuos esse atque hæreditarios sanciuit.

Vide Guillim. Habsp. l. 2. c. 2. & l. 4. c. 2. Phil. Honor in apotelisin. 24. Thesauri polit.

Caput Duodecimum.

DAGOBERTI ad frugem conuersio, visum diuinitùs oblatum, legitimus torus, Proles.

VERVM DAGOBERTVS, cum se fœdo concubitu infamem vbique haberi cerneret, tandem anno Austrasiani Regni octauo, qui fuit Christi tricesimus sextus post sexcentesimum, ad saniora mentem appulit; & pellicum grege procul amandato, post *Gomatrudæ* iniquo antea diuortio, vti diximus, segregatæ obitum, *Ragnetrudem*, quam

Append. hist. Franc. l. 11. c. 59. Aimoin. l. 4. c. 20.

præter

præter excellentem virtutem formæ præſtantia Regi conciliabat, legitimo ſibi toro ſociauit, è quā SIGEBERTVM filium natu maximum ſuſtulit, ob vitæ ſanctimoniam, cælitum olim numero adgregandum. Reſipuiſſe Regem, acerrimis ſubinde ſtimulis *Richarij Abbatis* concitatum, perhibent. Qui ruſticanis parentibus ortus, non niſi pura, & hordeo lacrymis ac cinere inſperſo victitabat: hunc liberrima increpatione Regem admonere ſolitum accepimus, orare, inſtare, iram Dei denunciare, ni tot offenſionibus iratum numen flectere benefactis occuparet. Cumque eius ſe orationibus Rex identidem commendaret, ille Regem commonefacere, ne ſe dolis prauorum hominum alieno ſanguine ſaginantium, neue auribus Regū inſidiantium circumueniri ſineret; meminiſſet, regna æquitate conſtitui, ambitione, immanitate, morumque licentia labefactari. ad hæc, ceu præſago inſtinctus ſpiritu, videret etiam atque etiam, ni ad mentē redeat, facta ſua alio propediem foro examinanda; nam potētes potenter tormēta paſſuros. Et, quæ ratio diuinorum eloquiorum eſt, his velut aculeis confixus Rex pungebatur; eoque res proceſſit, vt quoniam ſæpius eâdem de re dicentem attente audiſſet, tandem diuinæ bonitatis funiculis illigatus captuſque ad frugem reduceretur. Enimuero, quo illum Deus à pedicis mulierculárum, quibus ſe tamdiu obſcæna conſuetudine illaquearat, itemque ab ſacrilego peculatu, quo ad infamiam contaminatus fuerat, penitus abrumperet, eique in ſolidum conſuleret, hæc diuinitus oblata viſio veternum excuſſit: de qua duplex diploma loquitur, quod in manus meas venit, ſuis poſtea locis opportunius recitandum. Nam raptus ad horrendum ſeueriſſimi Iudicis tribunal, à Deiparente Virgine, quæ ſolemne alias miſerorum aſylum, humanique generis medela

Belleſor. an Franc. l. 1. c. 34. & 35. Arnol. de VVion. p. 2. ligni vitæ Baron. t. 8. an.

Dagobertus Regnatrudem ducit, è qua Sigebertus

Dagobertus varijs modis ad emēdatiorem vitā euadit.

esse solet,,tum ab S.Michaële Cælitum Principe,ad hæc Apostolorum Principibus, Petro ac Paulo, cæterisque Sanctis, quorum templa maximè temerauerat, violatæ sanctitatis & iniuriarum passim illatarum acerrimè accusabatur; inde per visum pertrahitur in tartarea loca, vbi torquendum grauissimis cruciatibus, seque in ardentes flammas quæ flagitiosè viuentes post hanc vitam manent, coniiciendum iustissimi vindicis sententia cognoscit; cumque hoc rerum articulo, subito quodam horrore æstuantē Regis animum facti pænitentia subiisset, vt dolenter suam inciperet damnare leuitatem,& quod antea toties admonitus reliquerat, amare consilium,dū fulmineus ensem in caput DAGOBERTI S.Michaël vindex scelerum deuibrat; ecce tibi iam olim expertæ tutelæ fidum Patronum, Dionysium, clientis miseratione ictum, qui ob Iudicis ora genibus nixus veniam precatus, & emendatioris vitæ sponsione interposita è somno reducem vita veniaque donatum, ad saniora consilia reseruari obtinuit. Quæ res tantam Regi solicitudinem metumque iniecit, vt præterita mala corrigere,& impendiò castigatioris disciplinæ rationem ordiri satageret. Neque destitit diuina bonitas ad optima quæque aspirantem cælestibus præsidiis firmare.

S. Amandus ad Dagobertum redit.

Siquidem D. *Amandus* Elnonensium decus, sub hæc tempora,in vrbem Romam ad ædem Principibus Apostolorum dicatam, ingenti conuenarum multitudine ac religionis concursu spectatissimam, dum orationi pernox instaret,partim iterato D.Petri admonitu, (qui aliàs DAGOBERTO ad saniorem mentem reuocando frustra laborarat) partim Regis nunc alia omnia meditantis accitu è Belgicis d tionibus, vbi Apostolici viri partes zelumque prçclarè,quà superstitionum abolitione, quà religionis incremento fungebatur, vltrò e-

uocatus est. Nempe SIGEBERTO noua sobole recens auctus, Sacrum regenerationis lauacrum impendi; tum ætatem teneram optimis vitæ morumque institutis & disciplinarum præsidiis imbui, per Amandum desiderabat. Videlicet cum aditum sibi ad Deum per pænitudinem anteactæ vitæ patefecisset, vt in futurum veritati virtutique locum daret, ad viros sanctitate doctrinæque præstantia excellentes semet applicans, eos quotidie circum se versari, & officiis omnibus ambire voluit. Amandus vero, vt qui solitudinis ac pietatis amore, sæculi honores Christi obsequio posthaberet, ad DAGOBERTVM Regem Clypiaco villa commorantem adiens, palatinorum Comitiuam deprecatus, illud demum, Audoëni & Eligij Sanctissimorum Duũuirum precibus dedit, vt cum DAGOBERTO Rege lectissimoque Procerum comitatu Aureliam, Vrbium quas Ligeris fluuius legit, nobilissimam veniret, vbi Sigebertum, Ariberto Patruele Aquitaniæ Duce illum de Sacro fonte suscipiẽte, aquis baptismi lustrauit. quod contra veterum tabulas in Alsatiæ nostræ Isenburgo, arce, quæ Rubeaquensi oppido imminet, factum, nonnulli recentiores pertendunt. Sed non committã, vt falsis ornamentis atque assutis, eorum, quæ vera sunt & certa, fides labefactetur. In Sigeberti vero lustratione istud miraculi loco narrant euenisse; quod D. Amando Sacras comprecationes, quæ Catholico ritu baptismo præmitti ad Catechumenos solent, recitante, cum nemo adsistentium responderet, Sigebertus infans XL. dies natus, voce syllabatim articulatâ hebræum *Amen*, quo velut signaculo preces suas Ecclesia obsignat, insigni futuræ pietatis præsagio enunciarit. quod nunquam retroactis temporibus factum, pro cælesti prodigio, omnes nouitate attoniti prædicarunt. nec fefellit præsagi

S. Sigebertum bapti smo lustrat.

Aimoin. l. 4. de gest. Franc. c. 20

Hugbaldus in vita S. Richtrudis apud Sur. die 12. Maii.

Miraculũ in baptis mo S. Sigeberti.

tionem euentus. Siquidem optimi Parentes, cum Aldegiſô & Cuniberto moderatoribus, imbecillæ atque præcipiti ætati à pietate ac modeſtia præſidium quæſiſſent; *S. Sigeberti inſtitutio.* maturior æuo Sigebertus conceptam in animis hominum ſpem veris virtutibus exæquauit. nam regias opes non ad priuata commoda, neque ad inſtrumenta voluptatum; ſed ad multorum tutelam populique ſalutem, quodque caput eſt, religionis incrementum congeſtas, *Cõiugium.* eò retulit, vt quamplurimis prodeſſet. *Fridobergam* ſplendido ac illuſtri natu fæminam, Grimonis Alemaniæ Principis filiam, coniugem habuit, miſericordiæ ac precandi ſtudio deditam inter primas. nulla tamen ex ſe prole, XII. Cænobiis per Auſtraſiam exædificatis dota- *Pia opera.* tiſque (inter quæ Malmundarienſe & Stabulenſe in Arduenna, S. Martini in vrbe, & S. Quintini in ſuburbanis Mediomatricũ principatum obtinẽt) religionem auxit. Superiorum temporum incommoda ex bellis nata verus Salomon pace compenſabat; niſi quod Thuringos *Mors.* perduelles marte ſubegit, fregitque. Auſtraſiam cum poteſtate tenuit annos duodetriginta, atque immaturo funere raptus ſub annum Chriſtianum DCLXII. vt potiores cenſent, ad D. Martini Ædem, quam à fundamentis eduxiſſe illum diximus, tumulatus eſt. moxque ſanctimoniam eius multis prodigiis immenſa bonitas patefecit. Corpus, quod multis ſæculis incorruptum durauit, ad vrbem Nancæianam, Ducum Lotharingiæ perpetua ſede hodie, quemadmodum & olim in Imperio Romano Naſij appellatione inclytam, ſub annum MDLII. incredibili ac verè principali adparatu trans- *Translatio SS. Pignorum, Nancæum.* latum, ibidem maiore religione colitur, templo illi dicato; cuius memoriam feſto Kalendis Febr. ſacro, quo diem ſuum obiiſſe referunt annales, incolę præcipua veneratione agitant. Eſt in manibus liber vitæ per V.C.

Georgium

Georgium Albericum, Sereniſſimis Lotharingiæ Ducibus à Secretis, vernaculo idiomate eleganter conſcriptus, quem Lector conſulat. vt interim taceam Laurentij Surij Supplementum. Iam vero etiam, quænam cætera fuerit DAGOBERTO proles, narratione exponendum eſt. Nam ex Nanthilde (quam Regentrude ſublata, legitimo ſibi toro ſociauit, quamque in Haſelacenſis Cænobij Syngraphâ *legitimam ſuam* vocat; neque dubitem ideo factum, vti hanc ab altera cognomine, quam è Parthenone raptam ſupra recenſuimus, diſcriminaret;) CLODOVÆVM id nominis II. Gallicani ſceptri hæredem, (quod moriens teſtamento mandarat, & regni ordines ſanxerant, vt ſuo loco referemus) genuit; qui ſimul procerum ſuffragiis, quibus illum Parens ſub vitæ exitum magnopere commendârat, ſucceſſor renunciatus, vacuam Rectore Franciam occupauit, optimis vitæ præceptis per Pipinum & Cunibertum imbutus, iam intelligere videbatur, officium Regum eſſe, innocentiam tueri; vt merito laudatiſſimis Regibus exequandus veniret, ſi veram pietatem ad vſque extremum vitæ actum retinuiſſet. verum ceſſerūt prima poſtremis, & aſſentatorum plauſu abreptus, omnia in ludibrium vertit; iamque annis maior, ſubmotis monitoribus, velut fera è cauea miſſa, omnibus turpitudinum maculis deformatum regnum tenuit, nam præterquam, quod magno numero concubinas iuſtarum vxorum loco cultuque haberet, fœdam etiam in ſubiectos carnificinam exercuit. Quin & præcipiti temeritate, quamuis diſſuadentibus, qui aderant, & deterrentiibus, cum in Sancti Dionyſij auro, argento, gemmiſque precioſam lipſanothecam, quam per S. Eligium fabrefieri Parens curarat, ſacrilega manu inuolaſſet, ſubitò animi amens factus, brachio inſuper arefacto, mente haud-

Sur. in ſupplem. 1. die Febr.

Clodouæi mores deprauati.

Aimoin. l. 4. c. 41. de geſt. Franc. Guilhelm. Eiſengr in Chrō. Spir.

quaquam

Temeraria SS. pignorũ contrecta- tio, & vindicta diuina.

quaquam deinceps ad sanitatem reuocatâ, breui denique animam exhalauit, ad impietatis in Diuos exercitæ exemplum, & singulare violatæ religionis condignumque supplicium. Ex quo tempore Merouingorum maiestas ab tenui initio profecta, sua magnitudine sensim laborare cœpit. nam Clodoueus, & ferme posteri Reges, ad vsque *Childericum* Merouingorum vltimum cognomento *stupidum*, vitiorum assuetudine, non minus corporibus eneruati, quam ægri animis, accubantes in conuiuiis, emolliti & corrupti stupris, aliis eorum nomine imperantibus, nulla re, præterquam ignauia, ocio, & actionum turpitudine nobiles, regnum virtute partum auctumque opulentia, desidiaque, & desidię asseclis voluptatibus perdiderunt. vt discamus, nulla imperia quãtumuis magna stare diu; præsertim cum animis Regum excæcatis, diuina vltio insequitur. quod Clodouæo factũ vidimus, qui Anno regni XIIX. Christi DCLXIV. vitam turpissimam pari exitu terminauit. At secundioribus ferè astris tergeminam prolem, etsi minus legitimã, Nanthildis altera enixa est. IRMINAM, ADELAM, & ROTHILDIM. IRMINA, maxima DAGOBERTI voluntate Hermanno Gallicano Comiti potentissimo, & longè omnium inter primos Regi caro desponsa, illo ante nuptialem thalamum mortalitate absumpto, Christo immortali Sponso in rerum humanarum despicientia se addixit; & DAGOBERTO annuente, ex amplissima dote, quam ei Sponsus supremis tabulis transcripserat, quamque nouis accessionibus Parens accumularat, in Augusta Treuirorum vrbe, Horreo Dagobertino in Sacrum Parthenonem conuerso, Ædemque Sacram adsitam Modoaldo Treuirorum Antistite grauissimis cærimoniis ad Deiparæ Matris memoriam consecrante, sanctis Virginibus eiusdem vitæ Sodalibus

Mors.

al. *Rithildim.*

S. Irmina vita morũque sanctitas.

Horrei Dagobertini fundatio apud Treuiros.

ad idem contubernium adgregatis, prima omnium Antiſtita præfuit, ipso naſcentis Chriſti peruigilio, omnium præſtantium virtutum; ſed inprimis, pudicitiæ atque illibatæ virginitatis laudibus glorioſa ad cæleſtis Sponſi nuptias, ipſo euocante commigrauit. Extat in vetuſti æui diplomate inſigne abiectionis Chriſtianæ ſpecimen; cui rogante Wilibrordo, Traiectenſis Eccleſiæ rara vitæ ſanctimonia prænobili Præſule, in Epternacenſis Abbatię publica ſyngrapha ſubſcripſit; ſe compellans, *In nomine Chriſti Deo ſacratam, etſi indignam gratia Domini Abbatiſſam.* Eſt in manibus vita eius, olim, Deo beneuolente lucem aſpectura; quâ, præclaro elogio, Irminæ Virginis *materna in pauperes cura, in honorandis Eccleſiis affluentiſſima largitas, erga bonos dulcis benignitas, contra improbos liberalis ſeueritas, in fide ſecura firmitas, in ſpe firma ſecuritas, in dilectione Dei & proximi radix bonorum omnium perfecta charitas; ſolemnis* item *ieiuniorum conſuetudo, inſtantia vigiliarum, orationum continuatio*, denique *ſingulare caſtitatis priuilegium* commendatur. ADELA vero, poſteaquam ex Herimanno Comite Albricum genuiſſet, vt teſtamento ipſa ſuo vetuſtis Eccleſiæ Treuirenſis panchartis hactenus cuſtodito profitetur, germanæ ſororis pulcerrimo exemplo inflammata, repudiatiſque ſæculi voluptatibus, ad ſanctitatis & eiuſdem gloriæ conſortium peruenit; ex quo, poſt mariti obitum, ſe Chriſti obſequio ac miniſteriis in eo Parthenone dicauit, quem Rodoaldus Treuirorum Antiſtes, Palatioli, hodie oppido, primo ab Metropoli lapide in Septemtrionem, ad ripam Moſellę, magnifico ſumptu à fundamentis eduxerat, vbi Adelam, compluribus ſub eadem diſciplina ſpectatiſſimi moris atque indolis Virginibus adunatis, Magiſtram atq; altricem præfuiſſe conſtans maio-

Horrei Dagobertini fundatio apud Treuiros.

S. Irminæ elogia.

S. Adelæ virtutes.

rum traditio est, & literarum monumenta consentiunt. Sed labente posteris annis religionis ardore, idem Sacrũ Virginum domicilium in Collegialem Ecclesiam cum aliis id genus compluribus transiit. Porro Rothildis, quam tertiam Nanthildis prolem supra accensuimus; per Diuum Florentium (quem nostratium historicorum potiores III. alij VII. à D. Amando Præsulem Argentinatem faciunt) luminum & linguæ vsibus diuina ope reddita, Suessione sub annum reparati Orbis DCXLII. effusa omnium Ordinum lætitia, maximaque celebritate, cum Liderico Bucano Principe Salicardi Digeonẽsis Dynastæ, ex Ermengarde Russiloniâ filio, (quem Clotarius primum Flandriæ Præsidem tutelarem instituit) in manus conuenit.

NOTA.

De SIGEBERTIS Homonymis.

CVm videam huius nominis similitudine memoriam antiquorum vitiatam, suis hic singulos natalibus & elogiis expingendos duxi: non tamen omnes, qui in hanc ætatem incurrerunt; sed eos, qui in Augustalis honoris fastigio positi fuêre. In quibus primas obtinet *Sigebertus* Clotarij I. cognomento Magni F. cui in regnorum cum fratribus partitione Austrasia obtigit, memorabili iustitiæ, religionis, laudisque bellicæ commendatione apud omnes passim celebris. cuius cum Brunichilde Gothica Epithalamium nuptiale Fortunatus lib. VI. cecinit, notisque illustrauit noster Christophorus Brovverus. Vitam hanc destituit anno Christi DLXXVIII. Nosque illum inter Reges Austrasianos DAGOBERTI Decessores suo elogio honestauimus. Alter ab hoc fuit *Sigebertus* id nominis II. cognomento *exul*, Theodeberti II. Austrasii Regis ex Thendechilde, alias Tenchilde F. qui Patre vita functo XI. annorum puer initio sub Brunechildis auiæ tutela regnare cœpit, annum circiter, vt plures numerant, DCXVII. quem deinde ex Vbiis in Franco-

niam

niam profugum, indeque reuocatum Clotarius DAGOBERTI Parens Alemanniæ Ducatu, qui Alsatiam, Heluetiam, Vindonissam, &, quod nonnulli volunt, Brisgoiam complectebatur, commiseratione sanguinis, decorauit, de quo in Clotario prolixius à nobis actum est, vita excessit anno DCLVI. Huic coæuus fuit *Sigebertus* cognomento *Burgundi Nothi*, Theoderici II. Burgundionum Regis Theodeberti Fratris è Brunechilde, vt quidam asserunt, F. Childeberti N. qui Brunechildis hortatu in Clotarium II. exercitu conflato infeliciter in campis Catalaunicis depugnans, aut cum Merouæo & Corbo fratribus captus & occisus est; aut secundum Ganguinum, fuga elapsus nusquam deinceps comparuit; aut denique, opinione Lazii, à Clotario III. fratruele bello petitus cæsusque, stemma suum sine prole destituit. Quartus cognomen *Continentis* tulit, Sigeberti exulis (vt Lazius cum aliis adnotat) F. qui ducta in coniugiũ Fridberga alias Luitberga Gunzonis Sueuorum Ducis Filia, Landgrauiatum Numagiensem à fluuio, qui Brisgoiam illabitur, olim dictum, hodie Brisgoiam, dotalicium fundum adeptus est. Denique SIGEBERTVS DAGOBERTI F. qui ad D. Martini apud Mediomatrices olim tumulatus sub annum DCLXII. hodie cælitum vnus colitur Nancæi. de quo plura hic dicere non est animus, ne actum agere videamur.

Caput XIII.

DAGOBERTVS pietatis operibus se addicit. D. Dionysio Areopagitæ, Patrono, magnificam Ædem construit. Eius encœnia Deus miraculo illustrat.

PRima est in Principe virtus esse pium, exclamat & monet Sacer Poëta; vt merito ad reip. perniciem natæ sint illæ politicorum voces, aulis Paul. AE- in Dagobert I.

Not. in Aimoin. l. 2. c. 20. Antiqt. Parif. Ger. Mercator. Fulgofus. l. 1. c. 6.

& regiis omnibus eliminandæ; *Sanctitas, pietas, fides, priuata bona sunt; quæ iuuat, Reges eant.* etenim remota pietate & iustitia, *quid sunt*, ait Augustinus, *regna, nisi magna latrocinia?* sensit hoc DAGOBERTVS, qui subactis hostium ac domesticorum insidiis, prouincialium item omnium, & maximè procerum voluntatibus ad concordiam pacisque consilia reuocatis, cum illum principatum egregiis nixum radicibus & præclarè stabilitum pernosset, quem Christi religio & ab ipso inspirata vera pietas fundaret; diuinæ gloriæ in regno tam latè longèque diffuso proferendæ animum curamque adiiciens, oppida, vrbes, arces, atque in iis Diuorum immortalium templa, vel à fundamentis excitanda, vel si qua bellorum iniuriâ, licentiâue temporum euersa erāt, publico sumptu restauranda suscepit. Huic facem pietatis summè prælucebant *Pipinus* & *Cunibertus*, qui excelsa potestate famaque virtutis ac sanctitatis opinione, præcipuum gratiæ locum, quem Clotario parente iamtum viuo cœperant, eodem vita functo, apud DAGOBERTVM obtinebant. Igitur Rex, cum voti pridem concepti religione semet exsoluere antiquissimum haberet, S. DIONYSIO, quem fidissimum sibi Patronum apud cæleste Numen assistere, multis argumentis comprobârat, ædem magnifici operis ab ima eductam basi condere, adiunctoque cænobio è D. Benedicti instituto, celeberrimum per totam Franciam insitæ pietatis monimentum parabat, quodque ipso structuræ genere cernentibus semper miraculo esset. Hoc animi consilio cum Sacratioribus iam antea laudatis Duumuiris, quorum auspiciis, Patre olim ita sciscente, res priuatas & publicas gubernabat, communicato, optimum visum est, ex tota, quam latè patebat Francia, gnarissimos Architectos aduocare, qui

vires operamque suam certatim offerebant piis conatibus cœptisque iuuandis. itaque ex bellorum manubiis templum inchoauit, loco, qui hodie *San Denis en France* natiuo idiomate appellatus, secundo Lutetia Parisiorum lapide abest. decem auri talenta per Sisenandum Hispaniæ Regem ex pactis conuentis appensa eodem transmissa sunt. At imprudenti consilio dandum, quod non locupletium duntaxat hominum; sed & aliarum Ecclesiarum redditus ac Sacrorum instrumenta licenter occupata ad ædem Dionysianam deriuaret. atque vt erat rerum alienarum contagione corruptus animo, multos importuna auiditate, criminibus siue veris siue assimilatis, tota ditione bonis euerterat. Hinc possessiones liberorum Sandregisili, quem in pueritiæ annis ob contumaciam castigatum alias retulimus, quòd stirpem suppliciis omnibus deuotam cuperet, Sancti Hieromartyris ministeriis addictam, & Cœnobitis eiusdem opes fruendas perpetuo iure attribuit. è Pictonibus vero, quos manifestaria coniuratione perduelles in potestatem receperat, nobilissima SS. locorum ornamenta sustulit. Quin & Pictauis prænobili Aquitaniæ Vrbe, Templo D. Hilarij inter alia spolia, quaternas valuas ex ære fusili dum per Sequanam Parisios deportandas curat, vnam earum flumine absorptam, neque postea vsquam repertam ferunt. cæteræ in hanc diem ædi Dionysianæ affixæ cernuntur. Qua demum magnis molibus ad fastigium perducta, cum non ignoraret, quãtum præsidij esset in Sanctorum exuuijs ad tuendam reip. religionem atque salutem, partim alias magna diligentia congestas, sed inprimis SS. Dionysij, Rustici, & Eleutherij, æuo & hominum obliuione non minus, quam humo sepultas, auro, argento, gemmisque, & artificiosis operibus exornauit. Huc gemmata cimelia, preciosam syn-

thesin, vasa diuino cultui destinata, precio & forma visenda contulit. alia donaria vix fidem reperient, si ad numerum referantur. Exstat vulgatus liber Antiquitatum Parisinarum titulo insignitus, qui molem quandam tradit donariorum & Sacri gazophylacij; vt merito hic operam & laudem alienam occupare supersedeamus. At cum Templi iam exstructi Deo sanctissimis grauissimisque ritibus more maiorum sacrandi cura pium Regis animum solicitaret, & lectissima Præsulum virtute doctrinaque præstantium, sed & procerum, generisque prosapia illustrium virorum magna frequentia, qui honoris & officij, sed inprimis religionis ergo ad eam panegyrim affluxerant, coram adesset; placuit diuinæ bonitati, susceptas pro pietate actiones Regis cælesti prodigio munerari. Etenim nocte, quæ Sacrum encæniorum diem, sextum Kalendas Martias, præcedebat, leprosus quidam, cæteris aliò atque aliò dilapsis, futuræ multitudinis prouidus in templum sese receperat, quò maturiùs sequentis diei turbam anteueniret. Hic nocte concubia ante aram progressus, cum nixus de more genu preces funderet, vidit Christum Pontificum habitu instructuque decorum, sacratissimis Ecclesiæ cærimonijs ædem, quam DAGOBERTVS religionis plenus ad Sancti Dionysij memoriam erat molitus, lustrabundum obire. pone, Domini Mater cæli terrarumque Regina, Mundi Patrona sequebatur; tum Apostolicus Senatus, laureata Martyrum turma; quos inter Dionysius, Sociique athletæ, Rusticus & Eleutherius trabeati radiabant; nec aberant Confessorum manipuli, & denique candidissimus Virginum chorus quos omnes Angelorum ac beatorum spirituum obsequia ambibant, frequentesque partitis inter se muniis Christum Pontificem assiduo ministerio circumdantes,

honoris

honoris & obsequelæ studio prosequebantur, ædemque Christus ipse Deo ac Diuis Cælitibus rite nuncupatam sacratissima benedictione compleuit. inde vniuerso Sanctorum addito comitatu ad leprosum visit. eidem sospitate prius impertita, in mandatis dedit, Regem ac Præsules die postera adiret, iamque Basilicam sibi à semet rite dicatam deuotamque testaretur. veritati firmandæ indicium adiectum; lepræ maculis notisque, prout leprosi corpori adhæserant, in subiectum pauimenti marmor nouo prodigio ad immortalem facti memoriam transformatis inditisque. nec mora. toto iam spectaculo ex oculis sublato, receptoque à pauore animo, simul diluxit, ille ad Præsules accedere, gestire gaudio, &, quoad eius licuit, visa auditaque narrare. sed vocem illi tum metus, & innatus mortalium animis sensus reuerentiaque diuinitatis, tum admiratio prope intercluserant. oculi tantum in lacrymas soluebantur, quod nec pares beneficio tam inopinato gratias agere posset, nec Christum alloquio morari licuisset. Huius narratione nouo portento firmata, creditum est, Ecclesiam Martyris Dionysij ab Christo rite inauguratam, ideoque ab sociatis Præsulibus communi placito sancitum, non videri solemnibus Ecclesię religionibus iteratò consecrandam. Regem autem inter sexcenta, quæ huc congessit, donaria, templo diuinoque cultui illustrando, singulari pietatis affectu eandem Dionysianam Basilicam complexum, indicio est Diploma vetus, quo nullum in tabulariis Parisinis antiquius integriusque extare dicitur, datum secundo Regni Francici anno, quondam Aimoino visum: in quo immunitatem eò tamquam ad asylum confugientibus impertiuit, subiecta sententia & verbis, quæ cum auspicatis Dagobertinæ pietatis aduersus S. Dionysium initiis per nos alias

recensitis

recensitis mirè consentiant, non immerito huc reponimus. ait igitur. *Sicut nos, quidem liberauit Deus per ipsos sanctos Martyres de manibus inimicorum nostrorum & furore Domini Genitoris nostri, ita omnes, quicunque eò confugerint, liberentur & saluentur. Si autem Deus omnipotens per intercessionem Sanctorum brutum animal, videlicet Ceruum, manifestè in ipso sacro loco liberauit, multo magis dignum est, vt homines rationabiles, quocunque delicto facinoris siue contra nos, vel succedentes Reges Francorum, vel contra quemlibet alium fidelem Sancta Dei Ecclesia aliquod crimen commiserint relaxentur, & liberentur.* Et valuit hic mos non apud Gentes modò, quibus *Ara misericordiæ* passim historiographis notissima celebratur; sed apud veteres quoq; Christianos, vt asylo Templorum constituto, confugis vis inferri Pontificum iuxta Cæsarumque decretis vetaretur. Quare legibus per DAGOBERTVM nostrum innouatis, etiam illa præclaro erga Deum pietatis testimonio adiecta est; VT OMNIBVS INPRIMIS ECCLESIIS ASYLI IVS TRIBVATVR; cum insigni additamento, *ne vlla sit culpa tam grauis, vt vita non concedatur propter timorem DEI, & reuerentiam Sanctorum.*

Stat. l. 12. Thebaid. Quintil. decl 261. Sozom. l. 5. Paul. VVarnefr. l. 6. c. 6. & l. 5. c. 3. hist. Longb Cod. Inst. Tit. de his qui ad Eccl Conf.

NOTA.

Encænistica San Dionysiana AEdis visio compluribus similibus illustratur.

Videas igitur, contra quam sentiunt hodierni Nouatores, & veteris Ecclesiæ probatissimis moribus, & priscorum annalium monumentis testatissimos fieri ritus, Sacras Basilicas in Diuorum memoriam consecrandi dicandique. quando & Christus ipse Pontificum Opt. Maximus diuina manu consecrantis partes obire non est aspernatus. Quin & huic Diuo, quondam etiamtum mortali hanc dignationem Saluator impertiit, vt Sacerdo-

tis munus, in eo cælestibus mysteriis pascendo, & benedictionibus sacrando vsurparet; ni fidem Hincmaro Remensi, Hilduino Abbati Cœnobij Dionysiani, & Algero Corbeiensi, antiquæ & probæ notæ fideique Scriptoribus abrogamus: quorum vnius è vita S Dionysii decerptam sententiam verbatim apponere non pigebit: sic enim ait; *Dum S. Mysterium B. Dionysius celebraret in carcere, hora, qua ab eo frangebatur panis sanctus, quo ipse & populus communicare deberent, resplenduisse lucem de cælo, in qua Dominus IESVS Christus cum multitudine Angelorum panem Sanctum ipse accipiens dedit Dionysio.* Id quod de Firmino Martyre, deque Honorato Præsulib. Ambianensibus, de Iodoco Anglicano Rothaëlis filio grauissimi vitæ eorundem Sanctorum Scriptores meminerunt. Quodque Christus Pontifex Opt. Max. Sacerdotibus ac Pontificibus beneficentissime indulsit, id cum iam dictæ Dionysianæ, tum aliis SS. ædibus per cælestem diuinamque consecrationem impendisse videmus. Nam Auenionenses Cathedralem suam, quæ nunc *S. Mariæ de Donis* appellatur, olim ab D. Martha Saluatoris hospita fundatam, Deique manu consecratam fuisse; Aurelianenses suam item *victrici Sacratissimæ Crucis* titulo insignitam *speciali benedictione* (vt panchartæ loquûtur) *per manus scilicet Domini consecratam ad diem V. Non. Maij*, è Pontificum Cæsarumque diplomatis, quæ non nisi peruicaces immeritò respuant, docere solent. Quæ pronuper Carolus Sansleyus Decanus, in Annalibus Aurelianensis Ecclesiæ publici iuris fecit. Mitto alia; vt apud Heluetios *Deiparentis in Eremo*, quotidianis prodigiis beneficiisque diuinis ad hanc diem illustris, cæterarum item ditionum Regnorumque exempla eiusdem generis: quæ vt lucem alienam cum merito fastidiunt, ita breuitatis studio hic à me percenseri non est operæ precium.

Aut. cit in vita S. Diō.

Vide Democh. de Sacrif Missæ in Episc. Ambian. Petrum in Catal. SS. l. 8. c. 137.

Carol. Sāss. annal. Aurel. l. 1. §. 12. & seqq.

Caput XIV.

DAGOBERTVS Argentinensem Episcopatum sub Deiparæ Virginis tutela fundat. eidem S. Amandum primum Antistitem sanctitate præclarum præficit.

Vincent. in Spec.
Rob. Ganguin. in añ. Franc.
Historia Petri Senior. vnde Vvimphelingius suam.
Guillim. in Episc. Arg.
Gasp. Brusc in Episc. Germ. Epitom.
Cratepolius de Episc. Germ.
vita S. Amandi.
Annal Argent. MS.
Vita S. Sigeberti c. 6.
Aubert. Myrrh. l. de Orig. Monast Belg.
Antō. Maier ann. Flādr
Molan. in dic. SS Belg

NIhil Regi quidem antiquius videbatur, quã Alsatiam regni sui præcipuam sedem, ac nobilissimam prouinciam, omnibus ornamentis amplificare. Sanè vero, ex quo Argentinatibus Orthodoxa fides olim per D. Maternum supernè illata fuit, post grauissimos persecutionum turbines, insuper Arriana labe cum aliis fœdè contaminata, non nisi per Clodouæum à victoria Tolbiaca reducem, Argentoratum Templo inibi Deiparæ Sacro, at rudi opere, prout ætas illa ferebat, condito, tercentum circiter annorum postliminio ad aliquam religionis speciem reflorescere cœpit. Erat tum quidem Alsatiæ miseranda facies, qua, propter affluentes alios atque alios barbarorum populos, pronis in solitudinem Ecclesiis, idololatria atque errorum lolijs arua quondam felicia sterilescebant, & post Wandalicas, Hunnicas, Gothicas irruptiones, barbaræ crudelitatis atque perfidiæ expressa locis omnibus vestigia extabant; neque Christianę fidei vel nomen, aut externus habitus supererat. Accedebat & ista temporum illorum calamitas, quod cum maximè turbata rep. Christiana, sæuientibus tempestatum fluctibus, viro & gubernatore opus esset, qui inueteratum genti errorem pro autoritate eriperet, Præsulibus aut nimio locorũ interuallo dissitis, aut metu ignauia-

que inutilibus, vel denique Arrianiſmi fœda lue conta-ctis, nemo eſſet, qui erroribus exſtirpandis, inſerenda religione, pietate conſeruanda, Deum ſibi poſteroſq; deuinciret. quo fiebat, vt hoſtes fidei, dum Catholicum nomen mirè exagitarent, Alſatiam, vicinaque loca tyrannide prementes, ipſi velut perfidiæ regnum quoddam in animis obtinerent. DAGOBERTVS igitur, rebus in Auſtraſiano regno ad pacis artes compoſitis, animoque ad religionis Catholicæ inſtaurationem conuerſus, cum cerneret, per Alſatiam in magna agrorum bonitate, diuite cultu, numeroſa incolarum multitudine, Paſtore aliquo communi opus eſſe, qui metu omni ſublato, liberè Orthodoxam religionem in tanta rerum perturbatione aliquot ętatibus intermiſſam reuocaret, quique cum poteſtate populis iura promulgaret, ſacra daret, moreſque corrigeret, noui Præſulis Argentoratenſis deligendi conſilium iniit. Neque illi deerat virorum fide & virtute præſtantium copia, quibus eam functionem cum fructu commendaret. Siquidem ex quo tempore bonam mentem amare cœpit, itemque, Parente vita functo, illud ſemper tenuit, vt eos aulæ ſuæ familiares adhiberet, qui Chriſtiani iuris intelligentia, grauitate vitæ, morum integritate omnibus prælucerent; vti qui non ambigeret, quin apud illos eſſet erga Regem ſincera fides, apud quos plurimum foret erga Deum pietatis. In his eminebat Amandus Præſulum gemma, ſolique Alſatici flos illibatus futurus, gente Aquitanus, domo nobilis, Sereno Patre, Matre Amantia. poſt Chriſti natalem anno DLXXI. Quem in adoleſcentia parentes, cultus ingenii capiēdi ſtudio, viris doctiſſimis limandum dediderunt: at poſteaquam omni liberali doctrina excultus, ſumma omnia pollicebatur, ſpretis honoribus, ad quos generis nobilitas & vitæ merita voca-

bant, vitam principalem cum priuata atque adeo monaſtica mutare certus, in Ogyam inſulam primum, ac deinde Turones peruenit, Vrbem D. Martini templo nobilem, lætiſſima ad Ligerim fluuium cæli agrique facie,& tunc Aquitaniæ attributam: hinc in Belgicam cõtendit, Elnonenſis tertio lapide ab Tornaco Neruiorum diſſiti Cænobii ad Scarpim amnem fundamenta poſiturus, DAGOBERTO fundum impenſaſque munificè præſtante. Cuius munerationis Diploma *datum Lutetiæ Pariſiorum, anno regni DAGOBERTI XI. ipſis Kalendis Maij* Elnonenſes etiamnum in Archiuis conſeruare perhibentur. Atque vt inuandis proximis ardens zelo mirè æſtuabat, ſub annum ſalutis DCXIV. Flandriam, Brabantiam ad Scaldim fluuium, Sclauos ad Danubium, Vaſcones ad ſaltus Pyrenæos peragrabat; ibi vicos, pagos, caſtella obeunti vna illi cura erat, diuini Verbi ſementem iacere, lucos, fana, & gentiliciæ ſuperſtitionis delubra exſcindere, palantes in viam reuocare; atque vbi vbi res Chriſtianas, in quas vitio temporum & ſuperiorum calamitatum iniuria deprauati mores incubuerant, nouis inſtitutis componere. Enimuero hos Apoſtolici viri labores multis præterea miraculis Deus illuſtrabat; vt ad inuocationem Amandi ſurdis auditum inſinuaret, cæcorum oculos ad videndi vſum aperiret, leto merſis funeratiſque vitam redonaret, magno vbilibet fructu, parique ſanctitatis fama. Ea DAGOBERTVM excitarat, vt D. Amandum Palatinorum obſequiis aſſociatum detinere præcuperet, quo ſibi propiùs conciliatum deuinctumque apud cæleſte numen haberet precatorem. Hoc illum animo ad Sigebertum, regiam prolem, baptiſmo, quod aliàs meminimus, luſtrandum in Gallias anno trigeſimo ſexto ſupra ſexcenteſimum euocauit. at ille animarum procuratio-

ni aulam posthabens, cum in Vrbem Romam limina Apostolorum Petri & Pauli plena numinis & Maiestatis inuiseret, secundum preces ad Deum profusas, Diuorumq; aduocatione imploratam in Galliam reuerti, atque palabundum Regem à flagitiis reuocare iussus est. Sanè vero cum graue esset DAGOBERTO, assueta relinquere, & in adulta rerum omnium licentia deprauatos mores noua censura mutare, cernens iam antea Amandus, se nequidquam cum obstinacis conscientiæ animo luctari, posteaquam acriores reprehensionum stimulos admouisset, eo parasiti aulici solitis artibus rem deduxerunt, vt omni effusa gratia, Rex beatum virum, ingenti bonorum omnium dolore, quibus Amandi sanctitas comperta erat, aula proscriptum, insuper exilio multaret. verum hic nimbus breuē ac facilem exitum habuit. Nam recordatione virtutum Amandi, semet retexens DAGOBERTVS, maiore etiam quam ante, gratiâ & honore prosecutus illum, principio quidem Traiectensibus Præsulem dedit; inde vero cum Argētoratensem tractum in ius & honorem Episcopatus eueheret, neminem alium præter Amandum tam gloriosi operis principem esse voluit, mirifica omnium approbatione, ingentiq; rei Christianæ emolumento. quod probatiores tabulæ circiter sæculi sexti annum trigesimum septimum factum adscribunt. Atq; quò amplior nouo præsuli esset autoritas, DAGOBERTVS Rex intelligens, tantum homines vulgò honoris & obsequelæ deferre solitos, quantum quisque opum, virium, & copiarum haberet; vanum sine viribus esse nomen dignitatis & magistratus; arces, ciuitates, oppida, municipia, latifundia magno numero, Argentinensi Ecclesiæ ac ditioni donauit. quod mauelim hodiernos Sacrorum Ordinum & Præsulum obtrecta-

tores ex vetusto Scriptore, quam meipso intelligere; qui disertè asserit, DAGOBERTVM, *quidquid iuris aut regiæ superioritatis in ea* (Alsatiæ regione) *sibi aut suis quocunque modo competeret, in Amandum, & eius in Præsulatu legitimos successores transfudisse.* Cuius tam eximii beneficii à DAGOBERTO apud Antistites positi, ab Præsulibus deinde in subiectam illis ditionem deriuati, vtinam memoria in posterorum Argentoratensium animis perennasset. efficeret enim fortasse, vt Episcopis se plus adhuc debere intelligerent; neque tam essent ingrati, vt, cum sine beneficio Episcoporum, nulli essent, ipsi tamen non vereantur huius beneficentiæ, quantum in se est, obstruere fontem, & ritu viperarum nascendo vel ipsam matrem diffindere. Sed iam hoc non agimus. Ecclesiam igitur Argentoratensem latè prædiis ac fundis instructam, DAGOBERTVS Clodouæi Magni vestigia persequens, in Dei Matris cælique Reginæ patrocinio ac tutela collocauit, gnarus, eam ob singularem diuinorum charismatum prærogatiuam & superaffluentem cælestium munerum copiam superum prorsus nemini spe fiduciaque suffragiis captanda posthabẽdã esse. nec abs re laudant maiores Henricum Regem, ceu alterum DAGOBERTVM, cognomento Sanctum, Virginis Dei Genitricis cultorem atque amatorem eximium (cuius animi & propensi in Dei Matris honorem amplificandum studii monumenta ad hanc diem Argentorati cernimus) dignum vtique virum, cuius ob munificentię & liberalitatis argumenta Deiparæ per Alsatiam in vtrouis tam Argentoratensi quam Basileẽnsi Præsulatu munificentissimè relicta, honor & patrociniũ nulla temporis vetustate apud Alsatas languescat. verum quia suauissimum Deiparentis nomen in manu nobis & calamo est, eandem reuerenter

habuisse primores maioresque Argentoratensium, laudatissimis documentis & ad oculum euidentibus haberi potest; quæ alias à me congesta hic in loco retexere minimè superuacaneum arbitror. præterquam enim, quod DAGOBERTI Regis voluntate iam ab constituti Præsulatus Argentinensis incunabulis principem Argentorati Basilicam, adeoque vniuersam quam latè patet inferam Alsatiam, amplissimis prædiorum redditiuumque largitionibus in Almæ Matris cultum & splēdorem confertim aceruatis constitutam vidimus; hæc insuper præclara Parthenici amoris apud Alsatas insignia vel digito monstrantur; quod exinde vniuersa ditio, quæ Argentoratensi Episcopo paret, DOS MARIÆ vetustis etiam membranis nuncupetur. cui argumento ferunt, sigillo Episcopali, VIRGINEM MITRA PROMINENTEM cum anulo exporrecto incidi pingique; quod eo Magna Mater Argentoratensem Præsulatum velut per arrhabonem sibi quam arctissimè desponsasse notetur. quod Amplissimus Illustrium ac Generosorum Cathedralis Collegii Procerum Senatus eandem publicis sphragismis & sigillorum insignibus sublimem solio, & quem Deum hominem genuit sinu complectentem præferens, suam item Tutelarem contestetur. quod Argentoratensis Ciuitas, cusis antiquitus numis aureis, eandem Virginem cum prole solio insidentem & brachiis vtrimque protensis, ceu Vrbem suam complectentem parte vna; at altera hisce illam notis limbo tenus piè venerata sit; SERVA VRBEM VIRGO TVAM. quod omnibus totius Diœceseos Templis, parœciis, ac Sacrariis, ante inuectam ab *Sata*nico Luthero hisce plagis hæresin exædificatis, vbi quidem complures Aræ exstant, vnam sub inuocatione Gratiosissimæ Patronæ Virginis conspicuam locarint; eidemque in principe

qualibet

qualibet ara, qua plures imagines ſculptæ pictæque conſpiciuntur, primariam ſemper dignioremque ſtationem Virgini Matri deſtinarint. quod denique compluribus ædibus poſitis ſub Beatiſſimę Virginis aduocatione per Alſatiam notiſſimis, (in quarũ primordia etiamnum inquirimus) per Catholicos Alſatas maiorum veſtigia chriſtianè conſectantes in hodiernam diem, Nouatoribus fruſtra circumfrementibus, adita & implorata, patrocinio materno in ſexcentis animi & corporis neceſſitatibus prodigioſe ſubueniat. id quod vbilibet ferè locorum publica anathematum virginali tholo appenſorum monumenta palam loquuntur. Sed quæ his ſimilia ſunt, in patentiorem olim campum differenda ſuis quandoque præconiis, ſi vitacomes & gratia fuerit, illuſtrabuntur. nos ad Amandum reuiſamus. qui mox cura Eccleſiæ Argentinenſis ſuſcepta, in omni virtutum genere ſecum ipſe certare, maiorque conditione mortali euadere viſus eſt. itaque & Regem formare optimis moribus vitæque præceptis, Diœceſin quoque ſalutaribus documentis fulcire, populum doctrina verbi & exhortatione ſancta cogere in caulas Domini perrexit. illud præclarum inter cætera pietatis opera, captiuis adiutandis & redimendis operam potiſſimum nauaſſe, morbis, illuuie, fame confectos recreaſſe; quidquid opis & pecuniæ affluebat, in calamitoſos congeſſiſſe. Alia id genus plura, ne multus ſim, volens omitto. illud vnum, ceu huic loco proprium adtexam. Erat Rictrudis, S. Morandi & lectiſſimarum Virginum, quas item ſanctitas cælo aſſeruit, mater, potens opum & locuples, formæ & virtutis eminẽtia apud DAGOBERTVM in paucis gratioſa. hæc Adalbaldo marito vita functo thalami curis exuta, Chriſti amore ſe ſuaque Deo dicare obſirmarat animum; ab Rege interim maxima nuptiarum

ambitione expetebatur. & iam res in simultates ibat, ni obsecundaret. Igitur Amandi consilio, qui illi excelsioris vitæ autor extiterat, & iamtum magnam apud Regem autoritatem obtinebat, DAGOBERTVM cum Optimatibus ad conuiuium domi suæ apparatum inuitat. Hic, occasioni salutis procurandę imminens mirę modestiæ fæmina, inter epularem accubationem assurgens Regem sciscitatur, liceatne domi suæ, quod volet, agere. annuit Rex, suspicatus eam hilariore poculo se ac conuiuas honoris ergô appellaturam. At illa, pręfata graui & diserta oratione, se religionis salutisque suæ caussa Deo in seruitutem iam voto addictam; hunc vnum sponsum expetere, præterea neminem. mox ob Regis & accubantium oculos, velum ab D. Amando consecratum capiti imponit, quo se fortunis & amicis, adeoque sęculi curis nuncium remittere vni Deo sacram ostenderet. Hęsit ad rem sanè inopinatam DAGOBERTVS, & gratiam tam insigni pietatis exemplo fecit; Amando, qui plurimum apud Regem propter existimationem virtutis atque sanctitatis pollebat, non modo Regis consensum procurante, sed pacem etiam conciliante. atque ita Richtrudis pro Parthenone Martianas deligēs, spretis honoribus amplissimis vitęque commôdis, locuples Christo & pauperibus patrimonium reliquit, integrioris vitę laudem apud posteros consecuta. His atque istiusmodi, quę pręsentis instituti non est enarrare, ex animi sententia pręclarè gestis, cum Argentoratensis Ecclesię Sacra in quintum annum procurasset, vt Placentio visum est, sub annum DCXLV. quo DAGOBERTVM humanis exemptum suo loco memorabimus, seu vitę tranquillioris, siue, vt non nemo asserit, Argentinensium peruicaciam pertęsus, se in auitum Elnonense Asceterium Ecclesię administratione re-

dicta denuo abdidit, vbi tranquillo redditus & miraculis clarus, anno, ceu potiores notant, D C L X I. nonagenarius ad diem I I X. Idus Febru. quo ei publicè in fastis Argentoratensibus honos habetur, terris emigrauit. Sanctimoniæ, & cælestis gloriæ promeritæ argumentũ sit, quod ipso animæ cælo immigrantis articulo, Sanctę Aldegundę pręcellentium virtutum fæminę longè absenti, atque in preces effusę, Amandus Candidatorum agmine coronatus apparuit. cumque ab Angelo, quem familiarem habebat, percontaretur; ecquis ille, qui tam augusto comitatu viam in cœlum affectaret? responsum habuit; *Hunc esse AMANDVM verè amabilem, qui à sæculo ad cælum migret, stipatus sanctis animabus, quas verbo & exemplo ad omnem virtutem instituisset. ideoque præterquam, quod vt pater ab ijs coleretur, cum ijsdem ad sempiternam beatitudinem gloriosus transcenderet.* Atque inter eos, quos huius sęculi vanitatibus abstractos Christo peperit, sanctimonia vitę morumque integritate celebres pręcelluerunt, *Andreas Elnonẽsis, Ionathas Marchianensis, Florbertus ac Ioannes Blãdinienses, Morandus atque Hubertus Broilenses, Allovvinus, Bauo*, aliique complures, digni tanto Magistro discipuli. Quem ego cum alibi è vitę actis prolixiùs laudare cum bono Deo instituerim, non committam, vt amplius hic eius elogia compendio deterantur.

NOTA.

Vtrum in Alsatia Inferiore, præter Argentinensem Episcopatum, Honauiensis transrhenanus fuerit, disquiritur.

ARgentinensem inferioris Alsatiæ Diœcesin, duplici quondam Præsulatu insignem fuisse, quorum alter Hohenouiæ,

Monasterio in D. Michaëlis honorem ab Adalberto Alsatiæ Duce, probante Theoderico Rege, toti vltra Rhenum ditioni, alter vero cis Rhenanæ, Cathedrali sede Argentorati collocata, sacrum ius dixerit, equidem opinari, quam credere mauelim. Verba Guillimanni sunt; *adesse autores, qui tradiderint, duos quondam fuisse Episcopatus, alterum Argẽtorati, cis Rhenum; alterum Hohenouiæ vltra. Et Hohenouiam quidem milliari Germanico infra Argentoratum, primum excoluisse, iidem autores memorant, Adalbertum Ducem, condito, vt prius Argentorati fœminarum; sic ibidem virorum Monasterio, præcipuè Scotorũ, eodem tot contulisse opes, vt pares essent ad Episcopalem dignitatem tuendam. Inde Monasterij Præsidem alias se Episcopum scripsisse, aliàs Abbatem. illum vero hodierni Episcopatus partem eam præcipuè administrasse, quæ in Germania magna, dextra Rheni, Mortnauia vocatur.* (cuius longitudo intra Brisgoiam Bleicha amne, & ad Marchiam Badensem Osâ fluuio dirimitur, latitudo ab Rheno ad montes Hercinios procurrit. de quo fusius in vita S. Landelini suo loco agendum erit.) Ait præterea Guillimannus, hunc *Episcopatum confirmasse Theodericum Regem* DAGOBERTI *Nepotem; sed vltra tamen sexaginta annos non perdurasse, vtriusque ripæ administratione ad Argentinensem Episcopum delata.* Hactenus Guillimannus. Verum subductis rationibus, mihi quidem tam pertinax veterum Scriptorum, qui lucem aspexerunt, de Hanouiensi Episcopatu silentium facilem viam sternit, vt ab iis dissentiam. præsertim cum iidem aliorum quoque Episcopatuum meminerint, qui vix eam tulerunt ætatem, quam nostri illi Hanouiensi Argentinam transportato tribuunt. id quod in Vindonissensi sole clarius est. Quin & veteres priscorum Regum, qui Hanouiensi Cœnobio condendo dotandoque affuêre, illis resistunt, nobis fauent. Exemplo sit diploma Theoderici Regis *ad Luitfridum & Eberhardum Adalberti Fundatoris filios* datum; vbi *Tubanum Benedicto I.* Hanouiensium Abbati, siue annis graui, siue qua alia caussa, cedenti, successorem nominans, nulla prorsus Episcopalis functionis illata mentione. *se, ait, illum eligere ad onus Abbatis, eique ipsam Monachorum Congregationẽ, ac sanctã regulã cõmendare.* Sed præstabit integrũ apponere, quando & *Tubani* virtus, & *Theoderici* pietas vna exsplẽdescunt.

Franc. Guillim. de Episc. Argent. c. 6.

THEODERICVS REX FRANCORVM VIR ILLVSTER

L*Vitfrido Duci, Eberhardo Domestico, Domino Patri Patrum, ac Venerabili in Christo Domino* BENEDICTO *Abbati. Quia conuenit nobis pro voluntate nostra, vel Antistitis nostri, seu Ducum, Comitum, Domesticorum, vel Pagisorum, vel mei ipsius ait in locum nostrum aliquem eligere debeamus ad onus Abbatis; ideo, Venerabilis frater* TVBANE, *commendamus sanctitati tuæ hanc venerabilem regulam. quia sicut sol ab inchoatione diei totus flagrat, & migrat; ita egregiæ beneuolentiæ tuæ in toto mundo longè lateque præclarè diffusa fulget opinio. ideoque, sicut supra diximus, hunc porro locum, & ipsam Congregationem, ac sanctam regulam, & stabilitatem Monachorum, ad sanctitatem tuam trademus, à die præsenti, & exinde: qualiter Euangelium Matthæos tibi testatur; quia, qui benè ministrauerit, sibi bonum opus accipiet. & qualiter perpensare debes, quod pro vnoquoque in die iudicij rationem redditurus assistes, bone Pater, & qualiter, Congregatione hac conseruata, centuplam mercedem in die iudicij tibi acquires. Christo igitur propitio tibi hanc regulam fideliter commendamus. Signum Luitfridi Ducis. Signum Eberhardi Domestici. Signum Domini Benedicti Abbatis, qui hanc chartam fieri rogauit. & post multorum nominum interualla; Ego Haimo indignus peccator Presbyter hanc chartulam rogante Domno Benedicto scripsi & subscripsi.* Nec abhorret ab ea, quam tueor, sententia vel Adalberus Cęnobii Fundator, diplomate, vt loquitur, *in curte Regia villæ, quæ est in Suburbano ciuitatis nouo, quam Adalbertus Dux ex nouo opere construxit, dato* firmatoque *mense Iunij anno secundo Theoderici Regis, vbi Sacrosancto Monasterio, quod est constructum in insula Ho-*

henaugiensi in honore Beatissimi Archangeli Michaëlis, vbi præsente tempore Benedictus praesse videtur Abbas, ad primigeniam fundationem noua fundorum & vectigalium additamenta liberaliter adiecit. Extat præterea Codex membraneus anno MLXXIX. per Leonem Hohenauiensem Cænobitam non indiligenter conscriptus, beneficio Reuerendissimi Adami Tripolensis Antistitis mihi visus perlectusque, donationes plusquam mille ab Adalberto Fundatore, tum Luitfrido & Eberhardo Ducibus, aliisque primoribus factas seriatim per annos omnes ab Theoderico vsque ad Carolum Magnum digestas complectens; in quo ne vestigium quidem Episcopatus hic quandoque collocati reperias, extra nudum Episcopi nomen, quo primi quatuor loci Archimandritę, *Benedictus, Tubanus, Thomas. & Stephanus* mixtim atque indiscriminatim nunc Episcopi nunc Abbates indigitantur. quod idcirco factum reor, vel quod antea Episcopali dignitate perfuncti, eâ dein abdicatâ, in Sacrum illud Asceterium, tranquillitatis atque anachoreseos gratiâ, vltrò se receperint; id quod constanter de Benedicto asserunt Manuscripti: etsi locus muneris eius per illum obiti maneat in hanc diem incompertus; vel quod nullum illis certi fuit Episcopatus nomen, cum gentibus promiscuè docendis, formandisque moribus, quorundam olim exemplo, quod Molanus adnotauit, generatim ad quaslibet oras destinarentur. quod nisi dicamus, haud sanè video, qui post longinquam deinde aliorum Abbatum seriem interpolatam, in eorum, qui primi Hahenouiensem Congregationem incoluerunt perveteri Elencho, facilè quaterdenos ordine Episcopos annumeratos defendas. Cum tamen etiam confessione illorum, qui Hahenouiēsem Episcopatum inducunt, non nisi penes quatuor pri-

mores ſupra laudatos, vſque ad *Stephanum*, hęc dignitas ſteterit. vel quod ſingulari quadam honoris & ſanctimoniæ prærogatiuâ, Epiſcopo Argentinenſi ſuppetias ad oram Transrhenanā tulerint, tamquā ſecundi Ordinis Epiſcopi, quos olim *Chorepiſcos*, hodie *Suffraganeos* vulgo appellamus; id quod in S. Pirminio Alſatiæ noſtræ gemmâ, nos quandoq; ſuo loco; & noſtra quoque memoria in Abbatibus aliquot Petræi apud Erfurdienſes Monaſterii factum meminimus: imo haud multis abhinc retro ſæculis in accerſendis ad eam functionem ex D D. Dominici atque Franciſci inſtituto Cænobitis vidit quoque Argentoratum. vel denique, quod tantum illis opum liberali Principum ac fidelium munificentiâ affluxiſſet, vt ex multiplici harum exaggeratione, alio quoque Scoticorum Cænobiorum colonias deducerent, quibus deinde Hanouienſis Archimandrita cum poteſtate præeſſet, ac velut Epiſcopen quandam exerceret. Suppetit eius argumenti ex iam laudato Leonis Codice illuſtre documentum, quo Beatus in Abbatum Hanouienſium ſerie ſextus, ſub Carolo magno Cæſare, complura D. Michaëli Archangelo ſacra atque ab ſe condita Cænobia, & Baſilicas ſucceſſoribus ſuis poſſidendas moderandaſque ſubmittit. è quo cum & Hanouienſis quondam Cænobij celebritatem & ampliſſimæ huius Congregationis colonias, cognoſcamus, dignum mea quidem ſentētia viſum eſt, quod in re præſenti opportunè ad publicum perducatur. Igitur Beatus Abbas in hanc ſententiam ſcribit; *Sacroſancta Eccleſiæ, quæ eſt conſtructa in inſula, quæ publicè ab omnibus Hohenaunia vocatur, ſupra fluuium Rhenum, in honorem S. Michaëlis Archangeli, cæterorumq́ Sanctorũ, numero DCCCXLVII. Ego itaque Beatus & iam indignus Abbas dono pro animæ meæ remedio totum & integrum quantumcunque acquiſiui,*

al. *Coepiſcopos*, ſeu *Proepiſcopos*. de quibus in Cōc. Neocæſ. & cp. 4. Decret. &c. Expoſuit. extra, de dilat.

quiſiui,

quisiui, aut collaboraui, siue comparaui, aut etiam per manus bonorum hominum, & per chartas firmas inueni, & per chartam confirmationis Regis Caroli & Imperatoris. Dono autem hoc totum & integrum ad illum locum prædictum, & ad illos Sanctos, in quorum honore constructus est, & ad pauperes & peregrinos Gentis SCOTORVM; dono autem hoc totum, vt ille Abbas, quem ego elegero secundum regulam Ecclesiasticam, post meum obitum habeat. Dono autem primum Ecclesiam, quam ego construxi in Moguntia *ciuitate; & alteram Ecclesiam, quæ est constructa in* silua, Marchlicheo, *siue* Luttenbach; *& tertiã Ecclesiam in* Lognaim, *in curte nuncupata* Wisicha; *& quartam, quæ est in* Sterrenbach; *& quintam, quæ est in* Buranhaim; *& sextam, quæ est in* Rodahaim; *& septimam, quæ est in* Hornufa; *& octauam in* Buchonia, *cum omni adiacentia, trado atque transfundo, & in perpetuum permaneat, volo, cũ terris pratis, campis, siluis, &c.* Mox subiungit; *si quis vero, quod non credo, contra hanc chartam confirmationis, & oblationis venire tentauerit, aut irrumpere voluerit, primitùs iram Dei incurrat, & de illa Ecclesia, velut extraneus abiiciatur, & insuper ista confirmatio firma permaneat. Ego VVellumannus rogatus scripsi, & notaui diem, & tempus, & locum.*

Hæc charta in Magontia ciuitate scripta XI. Kal. Iulias anno X. regni Domini nostri Caroli Regis & Imperatoris. ✠ *Signum Beati Abbatis, qui hanc chartam fieri rogauit. &c.*

Ex quibus vides, inprimis contra nostri temporis Hermogenas & Iulianos, qui Abbatias, Ecclesiasque optant esse quam pauperimas, iam tum ista ætate peramplas Honauiensis Monasterii possessiones, partim Regum & Patronorum Monastices amore per virtutem conciliato, partim religiosa Præsidum parsimonia,

& prouida œconomiæ cura, ad summum adductas eò præcipuè contulisse, vt & multitudini fama disciplinę sanè quam florentissimæ certatim huc affluentium Cænobitarum seruirent; & præterea, cum noua hæc Congregatio sub ipsis primordiis crescente numero, mole sua quasi laboraret, vicinis passim regionibus Monasteria & cellæ his opum accessionibus conderentur, quarum inquilini sanctissimo fraternitatis vinculo colligati, vni deinde principali Cænobio ceu matrici & metropoli cæterarum obnoxij viuerent. Quod cum in aliis pluribus, & nominatim Fuldensi apud Christophorum Browerum, qui hanc rem productis per Buchoniam exemplis facit longè testatissimam; tum ne longiùs abeam, in hoc, de quo agitur, Hanouiensi Manasterio. factum alias ex instituto liquebit. Igitur, vt ad orbitam recurrat oratio; cum, vt dixi, nihil adhuc veterum monimentorum reperire potuerim, quod Episcopatus transrhenani Argentinensis à cisrhenano disparati fidem faciat, merito (quod hucusque cauere curæ fuit) verissimis laudibus abundantes, peregrino ornamento abstinemus.

Caput XV.

DAGOBERTVS Argentinẽsi Diœcesi Superius MVNDATVM *donat. S.* ARBOGASTVS, *II. Argentinensium Antistes, Sigebertum eius Filium à morte resuscitat.*

PRæclarum Xenophontis monitum, *tanto religionis amantiore quemque Principum esse oportere, quantò sit felicior*; DAGOBERTVM

nostrum

noſtrum admonebat, vt, cum præclaris operibus ad maximam Dei laudem conſtitutis, regna, populos, victorias velut ſub manum ſibi creſcere cerneret, eam Dei benignitatem ipſe ad ampliorem pietatis fructum munificè conferret. Quo in genere immortalem Regis noſtri memoriam, cum alia huic patriæ beneficentiæ monumenta cuſtodiunt, tum plęraque Monaſteria per id tempus in Alſatia, poſt tot etiam ſæculorum ætates, & ſtructuræ dignitate, & vectigalium amplitudine non pauca adhuc miranda, viris omni virtutum laude eximiis inhortantibus, conſtituta. Erat in his ARBOGASTVS, gente Aquitanus, (etſi non deſint, qui Scotis adnumerent) qui eiuſdem propoſiti quatuor ſociis, *Florentio, Fideli, Tiethboldo, & Childulpho* comitatus, in Alſatiam, florente quidem iſthic Francorum imperio, peruenit. ac primum in nemore, illo pęne loco, vbi nunc Hagenoa Imperialis Camera conſiſtit, Oratorium ſibi erigit. vbi poſteaquam annos aliquot vixiſſet, crebreſcente ſanctimonię fama, quotidianis omnium ordinum adibatur concurſibus, quâ conſilia & orationes expoſcentium, qua ægros offerentium; quorum plurimi variis morborum generibus, Chriſti nomine inuocato, leuabantur. Harum rerum fama motus DAGOBERTVS, ſummo viri coram videndi deſiderio incenſus, primos ſuorum miſit, qui honeſtiſſima legatione illum obnixè inuitarent; veniret, & ſuo aſpectu alloquioque Reges dignaretur. quem coram, ſupra quam ſermonibus celebraretur experti, cum nequidquã in Regia detinere laboraſſent, Rex quibus poteſt precibus contendit, in Alſatia de cætero ſedem figat; ſibi curæ fore, ne obtemperaſſe aliquando pæniteat. Itaque ad ſuos regreſſus, priorem ſanctimoniæ opinionem nouis indies miraculis diuinitus editis auxit, tantique ægrorum ac pio-

Sur. tom. 4. vitæ SS. Breuiar. Argent. 21. Iul. Vita MS. S. Arbog. Codex Salicus Monaſt. Ebersheim MS. Chrõ. Arg. MS. Iacob Vvimpheling. Franc. Guilliman. in epiſc. Argẽt. Henr. Pantal. in vir. Illuſtr. German. vide vit. S. Florentii MS. c. 1.

rum concursus facti sunt, vt ex quietis portu, quem hoc secessu petierat, iam in medios hominum curarumque æstus reuectus videretur. Ergo hanc interpellantium frequentiam, impedimentum ad beatiorem vitam interpretatus, cœpit cum suis penitiora saltus rimari, sicubi fors opportuniora sedium, & remotiora inueniret. inde ad intima eremi pænetrans, magis idoneam latebris & tranquillo sedem, eo loco, vbi hodie Surburgum est, defixit; ibique templo ad D. Martini Turonensis memoriam excitato, ac positis circum tuguriis & mapalibus, cœpit mentem sanctioribus studiis ignotus pæne omnibus excolere. quoad DAGOBERTI consilio atque ope fretus, exciso latè nemore augustius templũ, peramplo Cænobitarum Collegio, quod hodie in Collegiatam Ecclesiam transiit, vti nobis infra repetendum est, addito locaret. At posteaquam AMANDVS, rebus Ecclesiæ Argentinensis rite constitutis, Elnonem regressus, Ei scopatus curas honesto secessu commutasset; Arbogastus famâ sanctitatis, quò studiosius pressa, magis magisque erumpente, ad Argentinensem Cathedram non volens, anno, quod veritati magis consentaneum arbitror, DCXLV. prouectus est. Quo in dignitatis fastigio eius rara & mirifica quędam extitit erga indigenas caritas, propensumque de omnibus, sed præcipuè magnorum criminum reis benè merẽdi studium; maximè vero vigilantia in Pastoris tuendo munere Arbogastum commendabat. nam & populum aduersus errores vitiaq; diligenter protexit, & morum exemplis ac Christianæ disciplinæ præceptis sedulo instruxit; denique sacris ædibus instaurandis, iisque noua ornamentorum accessione cumulandis, ac diœcesi amplianda laudem gratiamq; apud posteros promeruit sempiternam. Inter cætera illud illustre ad commendationem

miraculum, Christi prodigiis par aut secundum; posterorum memoriæ traditur. Nam extra vrbem Argentinam, ad Bruscæ & Elli confluentes, eo cis fluminum ripas loco, vbi postea per Hezelonem præstanti virtute Præsulem diuino admonitu insigne Canonicorum Regularium ad Diui Augustini normam Cænobium floruit, at hodie nihil præter Arbogasti nomen, religione prorsus abolita, retinet, tuguriolum rebus diuinis destinatum exstruxerat. Huc nocte intempesta, cæteris ferè somno consopitis, solus concedens, vt precationi silenter operam daret, cum nauigium præsto non esset, præuio Crucis signaculo, calcatis fluminum aquis sine noxa ire & regredi notatus fuit. Quo, nescio an admirabilius, quod in vitæ acta relatum, omnium pæne Scriptorum, monimentis & Alsatiæ tabulis decantatur. Cum enim per Alsatiam gratissima olim Francorum Regibus, tum præcipuè DAGOBERTO nostro ex venatu, aucupio, & piscatu oblectamenta extiterint, euenit seu casu, seu potius Dei prouisu, quod postea apparuit, vt DAGOBERTVS vna cum Sigeberto Filio venationi operam daret cis locum, qui siue ab copia Aprorum, siue quod vero propius, ab infausto Apri lædentis euentu nuncupationem accepit; nempe eundem illum, quo sæculo proxime consecuto, Atticus cum Berswinda lectissimæ virtutis Coniuge illustrem S. Mauritii Agaunensium Hieromartyris & Sodalium memoriæ Basilicam cum Cænobio instituit, vt in Deodato exequemur. Hic irriguis circum Illum flumen fontibus, à quo Alsatiæ nomen deriuari supra meminimus, & amænô solo, ac magnitudine nemorum siluarumque opacitate captus, dum feras vndique importunus & audax ageret, Sigebertus à sociis diuulsus, ab Apro, quem telis canibusque irritatum auidius inter venandum insequebatur,

Ebersheimünster-wald.

equo, cui insidebat, præceps excussus, ac fallente vestigio delapsus, mole sua obteritur, vt insequente die vita abiret. Ergo desperata filii salute, imò abrupta vita mœsti parentes, quod vnicum erat super, ad Arbogastum expertæ iam fidei ac pietatis Antistitem mittunt; orant, obsecrantque, extremis hoc Regis ac Reginę precibus daret, vt tali re ac tempore solatio, & siquâ posset, auxilio assisteret. Nec mora. nihil preces auersatus, cũ insigni Procerum comitatu Rubeaquas, quo iam vita functi cadauer delatum fuerat, contendens, simul in cõspectum venit, affuêre ad pedes Episcopi ambo parentes, humi passis brachiis strati, ac lacrimis ob ora manantibus per fidem perque res ab eo supra naturæ consuetudinem in tot aliis patratas, Sanctum obtestari, vt ne opem hoc rerum articulo negaret; ereptam peracerbo funere vnicam sibi prolem, regali stirpe florentissimam, solatium, columen, ac spem totius generis; eam à Deo, cui hactenus seruiret, lucis vsura donari impetret. hæc Reges. cæteri nixi vnà genibus idem precari, ac lacrimis toto ore manantibus manus cælo tendere. Et quæ non cedunt pericula pietati? Vir Sanctus parentum precibus flexus, submota hominũ turba, vna fretus in Deum fiducia, seque cum acerbo funere ad conclaue recipiens, in preces effunditur, diuinæque bonitati maiorem in modum commendat, vti interposita Deiparentis Virginis aduocatione, (quod vitæ acta expressim meminerunt) iterum in vitam Sigebertus afferatur; certus, nisi exorato numine, loco non discedere. Mox vota secundauit Deus. nam sub primam diei facem, regii pueri anima in pristinum recepta contubernium, eum Parentibus incolumem stitit. Qua tam insperati euentus felicitate, omnibus lacrymę ad talem diuinę bonitatis imaginem oboriebantur, qui antea ancipiti futurorum ex-

pectatione mœſti aduenerant; ipſis Parentibus vberius cæteris omnibus, clariuſque præ gaudio illacrymantibus. Rei fama tota breui Alſatia diſſipata, D. Arbogaſti nomen vehementer amplificauit; & ex citerioribus locis confluxerunt, vt, quæ fama prædicabat, præſentes oculis luſtrarent. Interim Arbogaſtus Deum ante omnia laudibus & gratiis veneratus, qui mortis victor vitęque Dominus vitam Ephebo Regio reddidiſſet, hortarique adſtantes, Dei benignitatem effusè celebrarent, qui ex tanta triſtitia in eam hilaritatem nihil tale promeritos euocaſſet. Exinde ſummum gratiæ & honoris locũ in Regia obtinuit Arbogaſtus. quantũ vero autoritatis hoc prodigio perpetrato illi apud vulgus acceſſerit, de ſuo ſenſu quiuis facilè exiſtimabit Alſatarũ; quã ipſe perpetuò iam antea recenſitarum virtutum tenore ſtudiosè conſeruabat, ac præſertim beneficentia in pauperes: quæ tanta in eo fuit, vt ſacra precatione menſam illorum luſtrare, miſſus vltrò citroque deferre, lances tergere, & ne quid inopibus deforet, ipſus diligenter conſiderare conſueſſet: præſenti item ac prodigioſo in pellendis morbis, atque energumenis ab malo dæmone liberandis auxilio. Cæterum Rex Sanctiſſimi Antiſtitis deſiderio maximoperè incenſus, Regiam illi ſuam obtulit, vti in qua multam pietatis ſementem facturus eſſet. ſed cum aſſenſus exprimi non poſſet, illud extremi conſilii fuit, muneribus onuſtum dimittere. Cumque immenſam illi auri, argenti, & gemmarum vim de regio gazophylacio obtuliſſent, ille harum rerum deſpicientia egregius, illud monuit, ſiquam vel diuini huius beneficii, vel regiæ munificentiæ memoriã apud poſteros extare vellent perennem, id quidem ſe autore præclariter facturos, ſi ad Deiparæ Matris Argentinenſis Patronæ peculium, tunc non adeò amplum, dotem

adducerent non vni sibi; sed successoribus quoque ac seris posteris profuturam. Placuit Regibus consilium. mox amænissimam terrarum regionem, cis citraque Rubeaquas, tum fæcundis Elli vtrimque ripis ad vsque ferè Nouientum porrectam, ipsumque Rubeacense oppidum cum arce Regia Isenburgo, accurata finium topothesia hodie oppidorum pagorumque circiter triginta duûm definitum, Argentoratensi Ecclesiæ per D. Arbogastum venerabundi obtulere, donationem syngrapha consignantes; quam vir Dei Argentinam redux, Sacris ad Dei aram operaturus, spectante conferta hominum multitudine, Deiparæ obtulit. Ea hodieque in Argentinensis Ecclesiæ possessionibus perpetuat, MVNDATI appellatione indita, ab singularibus exemptionum & immunitatum prærogatiuis, quibus Regum ac Cæsarum beneficio decorata, per vnum aliquē ex Illustri Maioris Ecclesiæ Collegio administratur. Quam amplissimam muneris functionem, dum hæc scribimus, Franciscus Ernestus ex Perillustri & Generosa Chrichingiorum propagine aureus ramus perfungitur, non sine memorabili sui nominis commendatione. Iam Syngrapham ipsam loquentem apponere suscepti operis ratio admonebat; sed inopia commentariorum, vnde hæc haurienda erant, premimur. Non tamen verebor, ne quis plus iusto, à rerum ordine declinatum existimet, si alterius DAGOBERTI id nominis II. Regis diploma, in præclaro Argentinensis Diœcesis membraneo Codice repertum, partitim apposuero; præsertim quod parem erga Ecclesiam Argentinensem pietatem spiret, & præterea Rubeacensis munerationis quandam velut coronidem complectatur. estque in hæc verba conceptum;

PRIVILEGIVM REGIS TAGEBERTI.

Super tribus curtis in Rubiaco, & in Bischouisheim, & in Species.

IN NOMINE SANCTÆ ET INDIVIDVÆ TRINITATIS.

TAGEBERTVS, diuina fauente clemẽtia Nobilissimus REX. Notum sit omnibus sanctæ DEI Ecclesiæ fidelibus, natis & nascendis, qualiter ego TAGEBERTVS exhæredidatus, Christo volente, proprijs filijs, Sanctam MARIAM mihi in hæreditariam hæredem acquisiui, dans in honorem Matris Domini, ad Eccesiæ Argentinensis Monasterium, tres curtes meas optimas & electas, quas ita discernebã à cæteris, vt præessent cunctis: quarum vna sita est in pago, qui dicitur Bisschoffesheim, *& in Comitatu* Chilcheim: *altera in pago, qui vocatur RVBIACA, & in Comitatũ ILCHICHA; tertia in pago, qui nũcupatur SPECIES & in Comitatu BARGENSI: scilicet has supra dictas Curtes ad supradictũ Monasterium, cum seruientibus Optimatibus, vel etiã equitibus ad easdẽ curtes pertinẽtibus, eo iure tradidi &c. Acta sunt hæc in Senburg. Et vt à nobis facta credantur, & à posteris nostris nõ infringantur, manu propria roborauimus, & sigillari iussimus.*

Dagobert' II. δέκατος.

Bisschoffsheim. hod. Kirchheim olim regia Dagoberti de qua inf.

Pagus Rubiaca.

Comitatus Bargensis. hod. Bar.

SIGNVM DOMINI TAGEBRTI REGIS PII.

Ego Turandus Cancellarius Regis, ipso iubente, rescripsi. Acta sunt hæc IIII Non. Apr. Luna VII Anno ab Incarnatione Domini DCLXII. Indict. V. Regnante TAGEBERTO Rege, Anno XXXII. regni sui.

Has deinde vtriusq; DAGOBERTI fundationes etiã posteros Reges magna religione cõplexos fuisse, ac

nouo

nouo ſtabilimento poſteris ratas ſanctaſque feciſſe inuenio. Vt vel hinc ruant falſæ ſubſtructiones, vel eorum, qui cum meditato quodam Eccleſiaſtici nominis odio, & iuris inuidioſi machinis Eccleſiaſticæ Hierarchiæ autoritatem oppugnent, negant ſummam tum huius reip. Argentinenſis, tum aliarum, penes Antiſtites fuiſſe; contra, quam docent acta, vt videmus, vltimæ vetuſtatis; vel etiam eorum, qui cum Eccleſiarum patrimonia per nuperos neſcio quos Comites ac Nobiles obueniſſe effutiant, priſci moris Epiſcopos, ceu quondã in vltima egeſtate vixiſſent, imperitiſſimè traducũt. Vtriq; horũ meminerint velim, Eccleſiæ Chriſtianæ iam olim promiſſum: *Suges lac gentium, & mamilla Regũ lactaberis.* Ideoque nec Præſulibus etiam antiquitus nec opes operas, inſtrumenta munificentiæ ac liberalitatis, tum occurrentibus domi militiæque neceſſitatibus opportuna ſæpe remedia non defuiſſe. vt fortaſſe alias tractandum eſt, & paullo copioſius explicandum. Nunc, plura ne ingeram, cum Arbogaſtus Eccleſiam Argentinenſem XXXVII. annos, vt vetuſtiores tabulæ aſſerunt, eximiarum virtutum ornamentis compleſſet, cælo maturus, ad diem XII. Kal. Aug. qui S. Praxedi Virgini Romanis faſtis ſacer eſt, ad Beatorum cœtum tranſiit. Annum Chriſto incarnato dubium reddit annalium inconſtantia: mihi ſingulorum momentis æſtimatis, Guillimanni, qui Epiſcoporum Argentinenſium nomina reſque geſtas per ſeriem contexuit, ratio vero propior viſa, dum DCLXVIII. poſt Chriſtum natum adſcripſit. Eundem Diuum inſigni humanarum rerum ſuique deſpicientia vel inprimis commẽdabilem facit, quod extremæ volũtatis ſyngrapha grauiſſimè ſanciuit, ne demortui exuuiæ alio loco, quam quo capitis rei malefacta vltimo ſupplicio luunt, tumularentur.

NOTA

NOTA.

De MVNDATI etymo, & vsurpatione.

Rubeaquensem tractum MVNDATVM, quasi *munus datum*, alii quasi *manu datum*; potiores ab *immunitate*, vel, vt in peruetustis membranis lego, *emunitate* deflexerunt, nã Balbol, C. *Emunis immunisue* dicitur, qui à munibus, id est, muneribus liber est. Atque hinc ab *emunitate* diminutam vocem *Munitatis*, tum in Dagobertina Weissenburgensibus data syngrapha, tum apud Abbatem Spanheimensem, aliosque manasse suspicor. Extat quoque apud Gretseri nostri Diuos Bambergenses S. Sigeberti Regis Diploma, quo, in Cœnobii Stabulensis fundatione fatetur, se Diuo Remaclo loci Archimandritæ, de fisco suo, ad vsus Seruorum Dei, partem aliquam cum *emunitate* donasse. cui gemellum est, quod Henricus Sanctus tribuit Godehardo Altahensi Abbati, ac deinde Hildesheimensi Antistiti, titulo Diplomati præfixo, *super emunitate*; cuius summarium est, vt contestetur, se Altahensem D. Mauritio dicatam Abbatiam cum omnibus eidem adhærentibus, sub suæ defensionis *Mundiburdium ac tuitionem* recipere. est etiam in manibus Rudolphi I. Imperatoris arbitramentum inter Abbatem & Cos. Weissenburgensem, *de quæstionibus, quæ ab his, qui extra ciuitatem, in locis tamen ad emunitatem (vulgò dicitur Muntate) spectantibus, ante cameram prænotati Abbatis deduci contigerit.* Estque in Alsatia, eodem DAGOBERTO autore, duplex *Mundatum*; *superius*, à situ loci, hoc, de quo nunc tractamus, *Rubeaquense*; *inferius* alterum, *VVeissenburgense*, de quo haud longe post. Eodem *Mundati* vocabulo memini appellatos Bambergæ, tam qui ad Ortum Collegiatæ S. *Gangolfi* Ecclesiæ suburbanæ, per Gunterum IV. eius loci Antistitem constitutæ, quam qui occasum D. *Iacobi Apostoli* per Herimannum VI. positæ, subiacent. Cæterum huius *emunitatis* prærogatiuam, quam olim magno quandoque emptã constat, expressam video in supra laudato *DAGOBERTI II. priuilegio*, vt vocat, quo cauet, *vt qui in Monasterii Deiparæ Virginis Argentinensis potestatem veniunt, liberaliter degentes sub Aduocati iure in libeberalium virorum numero teneãtur, nullumque famulatum (præter-*

quam Ecclesiæ cui addicti sunt) Domino illius loci, vel etiam Regi exhibeant; nisi ab eis beneficia teneant. habeant quoque liberam potestatem emendi, vendendi, dandi, habendi, & posteris eorum propria iura dimittendi; denique vt iustitiam inueniant, supra omnes, qui illis subditi sunt. Hæc DAGOBERTVS. Porro in hoc Tractu Rubeaquensi, amplissimo laudis ac sinceræ pietatis encomio prædicandus venit Rudolphus Habspurgus (qui primus in Serenissimam Domum Austriam, Augustale Imperii Romani diadema intulit) quod, post grauissima Maiorum suorum cum Episcopis Argentinensibus de iure Aduocatiæ & Feudi *Mundati Superioris* dissidia, eandem possessionem hæreditate ad se deuolutam, tandem religiosissima propensione in manus Henrici, ex Illustri Geroltzekianorum Comitum satu, Argentoratensis Præsulis, optimo exemplo lubens ac liberè contradidit. Quam consignationem anno Christiano vndeseptuagesimo supra millesimum ducentesimum, Argentorati decimo octauo Kal. Iulias firmatam, ad posterorum memoriam quandoque suo loco adponemus.

Caput XVI.

DAGOBERTVS in Alsatia Superiore proximè Rubeacum, Cœnobium S. SIGISMVNDI (hodie S. MARCI Præposituram) fundat.

Chrō. Arg. MS. Codex MS. Martini Bertel. Rubeac. Vita S. Leonis PP. IX. MS.

QVOD magnis heroum ingeniis vsu venire compertum est, vt, in quam partem animum semel inclinârint, ad eam haud segniter plebeio more, sed generoso quodam impetu seriò ferantur; hoc in DAGOBERTO, posteaquam bonam mentem redamare cœpit, eamque ad opera pietatis appellere, factum cernimus. Neque vero satis habuit, religionis incremento,

mento, amplisque possessionibus cumulatè præbitis, Argentoratensis Ecclesiæ augere maiestatem; sed nouas insuper Deo dicatorum hominum colonias in nemus vicinum *superiori Mundato* (vbi frequens illi sedes erat, ceruorum, aprorumque venationibus etiamnum opportuna) deducere meditabatur. Ad hanc rem insignem Basilicam exædificauit, D. SIGISMVNDO Burgundionum Rege & Martyre, de cuius sanguine sanguinem per maternum genus trahebat, cooptato tutelæ Patrono; eidemque domicilium adstruxit, CELLAM S. SIGISMVNDI primis sæculis nuncupatam; quam accitis D. Benedicti alumnis, iam tum sanctitatis fama spectatissimis, habitandam tradidit; olim, & deinceps quam plurimis magni nominis Principibus ac Præsulibus frequentatam. Illi Sanctum IMMERIVM, virum doctrina & virtutibus eximium, licet omnibus modis reluctántem, primum Abbatem præfecit. Qui cum rebus humanis spretis, in eremo vitam egisset, ad Palæstinam & Hierosolymorum loca, Christi natalibus vita morteque sacrosancta, religionis ergô abiit. ibi, dum vili vultu & specie corporis indecora omnibus incognitus, terram Dei vestigiis impressam (vnde origo religioni) piè obitans circumlustrat, immanem Griphonem multa cultoribus damna inferentem, & venenato halitu virus afflantem, diuina virtute confecisse veterum monumenta perhibent. Interim DAGOBERTVS hanc quam diximus Cellam, non tantum Basilicæ & Cœnobii structura, sed & prædiorum, fundorum, villarum, ac vectigalium annona ita decorauit, vt & fratrum ibidem degentium, & hospitum vltrò citròque commeantium multitudini par esset. quin & Cænobio *Sancti Georgij* in Hercynia silua, cui iure patronatus, vt vocant, posterioribus annis addicta in hanc diem perdurat, pro consue-

tudine *Cellarū*, quidquid ad alimoniam, & vitæ subsidia, vel necessitudo posceret, aut per loci Antistitē imperaretur, è D. Sigismundi Cella, rebus isthic florentibus, præbitum fuit, ac solatii caussa subinde pensitatum. denique vt maiorem loco dignitatem Rex DAGOBERTVS conciliaret, in fauoris copiam, voluit Cænobiarcham simul Episcopatus Argentinensis *Camerarium* esse, tamquam in amplissimi honoris prærogatiuam; eundemque ad hoc muneris electum non nisi per Antistitem Argentoratensem ratum firmatumque haberi. qui mos ad hoc vsque tempus inoleuit. etsi, vt sunt incerti infaustique rerum humanarum successus, rebus Monasterii temporum iniuriâ labentibus, primum quidem in *Prioratum* sub *Leone IX.* denique in *Præposituram* anno salutis Christianæ M C V. Narnione de Laubgass nobili SanGeorgiano Cænobita Præpositorum familiā ducente, tum aliis casibus, tum per Vulcani furorem collapsa, degenerârit. vnaque cum Abbatialis splendoris deminutione, S. SIGISMVNDI non tam patrocinio quam nomine abolito, Cella in D. MARCI socialem tutelam & appellationem commigrauit. Siquidem vbi nouum Oratorium primæ structuræ succreuisset, S. Leo id nominis IX. Alsatia, natali solo, peragrata, templo cænobioque cum toto peristyliorum & officinarum complexu magnificè restaurato, adstitutum S. MARCI Sacrarium, sub annum Christi Millesimum primum, Adolpho Argentoratensi Præsule in rem præsentem aduentante, consecrauit. ac licet antiqui templi nitor & venustas non reuixerit, vt ipsa quoque rudera testantur, valuit tamen Consecrantis autoritas, vt frequentissimo omnis ordinis, sexus, & ætatis cōuentu, S. Marci aduocatio Diuo Sigismundo tantum non subrogaretur. nam & hodie primaria Templi superstitis ara vtriusque Diui

effigiem, Virginis cælo coronatæ latus vtrimque cingentem præfert. & in Sacris thefauris cranium D. Sigifmundi, rara conuenarum veneratione ciftulæ inclufum attinetur. Tandem iterata flammarum clade vaftatum Cænobium fæculo primo fupra millefimum, Gerardo de S. Amarino Cellæ gubernacula moderante; vnde tota fupellex cum ædificiis & geminis Sacerdotibus luctuofo incendio conflagrauit. Quam iacturam fupra laudatus *Narrato* cum Semanno Rectore Geweilerano nouis operibus explicuit; quæ tamen vniuerfa, fanatica rufticorum turba fuperueniens, in communi Germaniæ, Alfatiæque tumultu, difiectis incenfifque fuperiore fæculo monumentis, ita diffipauit, vt omnis elegantiæ atque ornatus prifci veftigia prorfus obliterarit. Sanè, cum pronuper pomœrium vetus & culminum templi vaftitatem, inter extantia rudera & parietinas curiofus luftrarem, illud non fine iufto dolore mecum animo reputabam;

> *Ὡς δὲ θεοῦ τεμένη καὶ τείχεα καὶ ναέτηρας*
> *Ζηλήμων δηίων ἐξεκένωσ' Ἄρης.*

Eft vero dictu incredibile, quam antegreffis fæculis omnium ordinum homines huic Cænobio addicti fuerint: illudque per crebras aduentantium coitiones, fama loci olim crefcente, nulli cæterorum in Alfatia ceffit. neque prætericro, anniuerfarium hac regione morem, etiam nunc Catholicis folemnem, quo die S. Marci magna religione cum crucibus & Sanctorum reliquiis, circumiacentes pagi & oppida numero XXXIV. ad D. Marci fupplicatum contendebant, propofita anathematis pœna, fiquis negligeret. Extat Manu fcriptus Codex veteris infcriptionis argumento fidem promeritus, in quo, præter priuilegiorum copiam, DAGOBERTVM

Cœnobij autorem testantur nonnulla carmina, quæ tãetsi rudia sunt, nimirũ eius ætatis, subiici tamen placuit;

Deuotus seruus Francorum Rex DAGOBERTVS
Præcipuum struxit diuino munere claustrum
Siluarum in memore, atque hominum frequentia rarum
At nomen Cellæ SIGISMVNDI *indidit ille.*

Denique *Abbatum* seriem eodem libro contextam hoc ordine reperi, hoc loco à situ & tenebris vindicandam; vt S.*Immerio* (quem anno DCLXVIII. cælis transscriptum meminit,) substituat

S.*Seuerinum*, quem alium ab Coloniensium Antistite esse ratio annorum conuincit; contra, quàm MS. autor censuit. *Seuerino*, duobus interpolatis, quorum nomina sunt incomperta, *Arbogastum de Aravv.* Obiit anno DCCC.

Dehinc *Nicolaum de Bucheck.* Obiit DCCCLV.

tum *Amelonem* Comitem *Dagsburgensem.* Obiit DCCCLXVI.

Ameloni subrogatus *Otto de Libecken* Obiit DCCCLXXVIII.

Agmen vero Abbatum clausit *Bertramus de VVilstein*, vita functus anno DCCCCXC.

Inter *Priores* eiusdem loci principatum obtinuit *Ioannes Zeringensium Ducum* prosapia ortus, & ab Leone IX. dictus. Obiit anno MXXX.

Alter ab hoc, *Nantvvig de Ende.* Ob. MLXI.

Tertius *Petrus de Kirneck* Obiit MXCVI.

Verum de hac S. Marci Cella, ad D. Sigismundum transportata, quia hic agere institutæ breuitatis non est, consultò ad D. Leonis Papæ IX. vitam prorogamus, vbi & de propinquo Marbacensi Cœnobio suus erit dicendi locus.

NOTA

NOTA.

De gemina CELLARVM acceptione.

SIcut prisci & latinè loquentes, Columella, Plautus, Martialis *Cellam* pro secreto cubili rarius, sæpissime pro penu, quo esculenta & poculenta recondebantur, acceperunt; ita monasticæ periti maiores *Cellam* pro loco, quo monachi reclusi vitam solitariam degebant, non nisi rarissimè; at plerumque pro eo domicilio vsurpār, vbi religiosi viri simul habitantes toties laudatā hospitalitatem in peregrè venientes, qua domesticos, qua exteros, exercebant: simul penu quoddam erat, è quo cætui primarii Cænobii vel ad certum demensum, vel prout imperabatur, vitæ necessaria promebantur. Atque hinc tum apud D. Aug. tum in Sanctissimi Benedictinorum instituti regula, interque veteres Canonicorum dignitates, *Cellariorum* munus emersit. Vtriusque acceptionis partim hæc, in qua scribimus, Alsatia, partim DAGOBERTI nostri æuum, locuples habet documentum. Nam prioris exemplum est *Cella Leobardi*, qua eius Cænobii primordia posita sunt sub Childeberto Austrasiæ Rege, quod dimidio lapide Tabernis Alsaticis dissitum, Maurimonasterii à Mauro insigni restauratore nomen inuenit, & hodie numero Cænobitarum ac disciplina cū primis floret, vti supra descripsimus. Estq; in hãc diē tū apud Carthusiæ Patres, tū apud aliorū Ordinū Cænobitas pro more, vt conclaue, quo se recipiūt singuli, *Cellas* appellitent. de quibus est illud viri religiosissimi Thomę Kempensis pronunciatum; *Cella continuata dulcescit, & malè custodita tadium generat.* quod eodem Græci idiomatis significatu noster Georgius Mayr ita transtulit; τὸ μὲν κελλίον θαμινὰ οἰκηθὲν γλυκάζῃ, κακῶς δὲ φυλαχθὲν λυπεῖ. extat quoque apud Ennodium Ticinensem pronuper nostri Andreę Schotti opera editum, Sanctio, qua iubentur omnes Episcopi *Cellulanos* habere (quos *Concellaneos* appellat Sidonius) quasi *eiusdem cella & habitacula*; ne solivagi & sine arbitris degant. posteriore vsu tum hanc, cuius occasione ista notamus, S. Marci *Cellam*, tum alteram, quæ Ettenheimensi Monasterio proxima est, & Sacris *D. Landelini* Martyris exuuiis gaudet acceperis nam quod Cænobitis inde victus & annona præ-

In regul. S. Aug. & S. Benedicti.

Vide Molanum l. 2. de Canonicis c. 17. & 18.

Gretf. in vita S. Otton l. 1.

In oper. Ennod. Ticin. ep. 4.

de imitat. Christi l. 1. c. 20.

beretur, totumque prædium eidem Monasterio addictum esset, hinc appellationem habet, vt *Monachorum cella* etiamnum vocetur. Non tamen negauerim, posteriore potissimum æuo, minora quædam & secundi ordinis Cænobia *Cellas* subinde nuncupatas. In exemplo sit, S. Otto Bambergensis Antistes, qui celeberrimo S. Michaëlis Cænobio in Monte Monachorum proximè Bambergam condito, *quinque Cellas* adstituit, quarum vna sub Patrocinio *S. Fidu Virginis & Martyris* olim septem Monachis attributa, cum vniuerso iure, Cænobio S. Michaëlis paruit, & etiamnũ paret; tum hoc ipsum, quod mox nominauimus, Sancti Georgii Cænobium, quod cum in literis Fundationis per Hezilonem Degernauuensem datis Anno DCCCXIII. Indict. VI. *Monasterium in honore S. Georgij in Vvalda vocetur*; mox tamen in ædificati Cænobii narratione subiungitur, *placuisse Hessoni & Eduardo Germanis fratribus cum socijs LIIII. ligneam capellam, & qualecunq; claustrum illi adiacens CELLAM SANCTI GEORGII nominare.* quod de altero quoque Georgiano in *Richenbach* per Wilhelmum Abbatem Hirsaugiensem anno MXXCII. apud Tritemium; & *Cella Pantaleonis* ab illustri Ebersteiniorum stirpe constituta velim accipi.

Vide Tritem. loco cit. Crus. annal Suev. l. 3. p. 2.

Caput XVII.

DAGOBERTVS in Alsatia inferiore Cænobium HASELACENSE ab se fundatum, S. FLORENTIO. III. postea Argentinensium Episcopo attribuit.

Chron. Argent. MSS. Breuiar. Argent. Iac. VVimpheling. Fr. Guillim. in Episc. vita S. Florentii MS. Pantaleon in vir. Illu. Germ.

MVLTVM non Germania solum, sed nostra quoq; Alsatia Insulæ Britaniæ post Deum, prouidum humanæ salutis curatorem, laudum & gratiarum debet, vti quæ radiantibus sapientiæ & virtutum luminibus in opaca hæc siluarum nemora

mora infusis, quidquid Barbarici stuporis extitit, per *Fridolinos, Trutpertos, Offones, Landelinos, Tubanos, Ludanos* abstersit, illustrauit, & ad capessendam tam ex humanarum, quam diuinarum literarum studijs laudem accendit. quorum virtutes proprijs insignitas præconijs nunc quidem accuratius spectandas exhiberem; nisi animus compendio intentus eò laborem differret, vbi ex instituto altius repetenda erunt. Porro inter eosdem FLORENTIVS in Episcoporū Argentinensium ordine feliciter tertius eluxit, cui huius Ecclesiæ Catalogi nonnulli, qui extant, *Rotharium* præfigunt, quem Ducum prosapia oriūdum aiunt, à Childerico Rege Galliarum, ex palatij Magistro huic sedi impositum. Nobis tametsi sæpe in tenebris hærere necesse sit, non secus atq; ignorata via, vbi in plures partes vna finditur, cū nulla placet, nulla repudiatur; hic tamen supputatis annorum calculis, magis arrident veteres schedæ, quæ inter Argentinensium Præsulum nomina, tertium Florentij maluerunt. hic igitur inter suos nobilissimus, & veteri magnaq; prosapia tranquillioris vitæ studio succensus, cum totum prope *Foresta*, vt vocāt, saltum pererrasset, tandem in Bruschiana valle ad Haselaci præterfluentem, inter nemorum & siluarum opaca, proximè Vogesi montis collimitium, anachoresi exercendæ domicilium constituere meditabatur, adiunctumque diuinæ rei procurandæ Deiparæ Matris nomini dicatum sacrarium. Ibi psalmodijs, vigilijs, ieiunijs perdius & pernox operam dans, cum magno feruore pietatis & monasticæ perfectionis, Deo seruire ingressus est. nec minus quoque studij tribuit in nemore succidendo, & ad habitationis vsum explicando. Accidit autem, vt cum tenui agello culturam impendisset, feræ agrestes de spelæis egressæ sementis factæ teneros culmos depas-

cerent. Hoc vbi vir Dei aduertit, qua erat erga diuinum numen confidentia, præcisos ex virgulto ramos in terram quadrangulatim depanxit, qui velut cippi terminales modicam illam glebæ portionem circumscriberent; additque cautionem Dei reuerentia interposita, vt ne ulla earum præfixos limites transgrederetur. Mirum dictu. ex hoc temporis puncto & deinceps nihil quidem Sanctissimi viri agricolationi damni à feris illatum fuit. Restat, inquit vitæ Sctiptor, *anhela metu tam multiformis, quam multicolor numerosa congregatio bestiarum, & verborum velut constricta compedibus tenetur. hinc ceruorum ramosis elata multitudo cornibus, hinc aprorum frendens fulmineis setosum genus dentibus, illinc animalia pusilla cũ magnis, nõ clamore cõmota venatico, non canino exagitata latratu, non sepium conclusa repagulis; sed vt dictum est, verborum imperiis constricta obtemperat.* Aliàs, cum è vicina Kircheimensi Regia, vbi DAGOBERTVM frequens domicilium habuisse, in loco referemus, Regii proceres ad propinquum nemus progressi, venationi indulgerent, euenit certa Dei voluntate, quod postea apparuit, vt canes venatici cis vltraque montium iuga, tum concaua vallium, & peragratis quaquauersus semitarum compendiis notos siluarum anfractus pererrantes, nihil quidquam ferarum deprehenderent. Iam enim tota cohors ferina, dum latebras profuga quærit, ad Serui Dei vile tuguriolum, tamquam in Asylum se receperat. Quo deinde venatores delati, quod Florentii sanctimoniæ debuerant, hoc magicis incantantionibus tribuunt. Ergo virum Dei indignè cæsum, tum nudatum chlamide, insuper bipenni, qua ad incultum nemus repurgandum, & vepres excidendas vtebatur, excussa spoliant, denique modico eius peculio direpto, domum repetunt, mox vindi-

cem Dei prępotentis manum experturi. Nam cum ad vicinum lacum, quâ transeundum erat, propinquassent, quasi fulmine de cœlo tacti consistunt immobiles, vt nec progrediendi, nec retrocedendi potestas fieret. Quare, vt erat, hāc iustā Dei offensam ob flagitiū, quod antecesserat, interpretati, factum dolent, Deique benignitatem obtestantes fixum habent, iter, qua venerant, ad Sanctissimi viri casam relegere, eumq; pacem ac veniam obnixè precari. Continuo viribus pristinis redditi, vnà ad Florentium adeunt, & supplices factum pęnitudine recensent, ablata restituunt, seq; in eius potestate fore pollicentur. Neq; hic quidquam cunctatus Christi imitator, iniuriam christianè habitam vltrò condonauit, ac salutaribus monitis instructos à se dimisit. Qui ad aulam reduces, cum illam rerum gestarum narratione complessent, eiusque fama vt fit ad Regem pertingeret, placuit eum honestissima legatione ad se accersere. Postquam aduenerunt primores, Regis mandata humaniter exponunt, rogant, vt Regi eius præsentiam solicitè ambienti ne deneget, conscendatque caballum in hanc rem submissum, & augustali peristromate instratum. Florentius, qua erat rerum vanarum despicientia, gratiis humanitati actis, humili vectus asello vnà cum Legatis se in viam dedit. Erat autem DAGOBERTO filia ROTILDIS, à primis natalibus luminum & linguę vsu destituta. Huic consanandę DAGOBERTVS Diui Florentij gratiam ac deprecationem sibi apud Deum demereri satagebat. &, quę est immensa numinis bonitas, voto affuit. Iam enim transcenso proximi collis iugo Florentius cum honestissimo Regis comitatu in aspectum Kircheimij venit; cum puella exclamat, domesticis stupore attonitis; *Ecce venit Sanctus Domini Florentius, cuius meritis*

diuina gratia me illuminauit, & vsum loquendi concessit. Accurrunt ad tantam nouitatem Rex, Regina, Proceres, benignum Deum mistis gaudio lacrymis vna voce personantes. vt primum vero interea cursor prænunciauit, Florentium affore, tota Regia gaudio exsultans illi se obuiam eiecit, venientemque cum faustis acclamationibus acceptum, ac velut Angelum cælo delapsum, ad Reges certatim omnes deduxere. Ex quo tempore S. Florentius, magnam sanctitatis famam per omnem Regiam, viciniamque collegit; at in regno Austrasiæ præcipuum gratiæ & autoritatis locum apud omnes consecutus est. Quæ opinio cum per hominum ora volitaret, multi mortales è vicinis locis accurrebãt, numinis propitiandi promerendique Sanctissimi viri caussa, quem omnibus officiis, quoad vixit, coluerunt.

Interim Florentius sua in eremo veterem Ægyptiorum Patrum morem reuocabat, ieiunio aquæ haustu & olerum cum pane esu, soluto, quantum vitæ trahendæ nimirum sufficiebat. orationi perdius ac pernox insistebat. orationem lectio, lectionem operatio, operationem iterum oratio excipiebat: intenditque huc vel inprimis omnes animi curas, vt cætum recens adgregatum in diuinarum literarum studiis, Patrum doctrina, nec non Monastica disciplina diligenter erudiret. quibus virtutibus vitæque ornamentis cum Haselacum ab omnibus magnopere celebraretur, affluente virûm eiusdem propositi tenacium multitudine, indidem tamquam ex quadam sapientiæ arce plurimi prodierunt, morum probitate & doctrinarum laude insignes. Sed principem inter eos locum Florentius obtinuit: quem D. ARBOGASTO rebus humanis subducto ad Ecclesiæ Argentinensis gubernacula, renitentem licet, admouerunt. Quo in munere mira omnium gratula-

tione

tione acceptus, agris, vicis, oppidis tota ditione lustratis gregem suum Pastor inspiciebat, concionibus ad populum habitis, Ecclesiis dedicatis, Clericis ad Sacros ordines lectis initiatisque, tam crebra tamq; splendida vbique sanctimoniæ reliquit impressa vestigia, vt eum veteres panchartæ *fidei Doctorem*, & quendam velut *Alsatiæ Apostolum* concelebrent. interuallo autem anachoresin repetens, Haselaci diuinarum rerum meditatione fessus se à cura pastorali reficiebat. Inter hæc cum solicitè expenderet, quæ essent eiusdem Asceterij ornandis ac prouehendis initiis, vt benè inchoatum firmiores radices ageret, institit DAGOBERTO, vt locum, quem colendum possidendumque iam ante attribuerat, certis limitibus terminaret. at neque hic se Regis beneuolentia desiderari passa est. nam tantum ei possessionis ac fundorum addixit, quātum terrarum interea loci oberraret, quoad Rex balneo, cui tum insistebat, corpus abluisset. Nec mora. Florentius asellum conscendens, saltum vsque fere totum, quem ad hoc tempus Haselacenses obtinent, & præterea patentem terræ tractum terminalibus bacillis defixis, qui limitis instar decumani, ad quatuor cæli plagas eminebant, peragrauit. venitque in tempore, vt Regem iam thermas egressum, cæteroq; cultu extra chirothecas ornatum deprehenderet; quas, Regi benè precatus, porrexit. Et mirabatur DAGOBERTVS, tantum locorum asello vectore, tantillo temporis spacio peragratum, quātum vix citatissimo equo cæteroquin assequi potuisset; venitque in mentem, hunc singularem Dei fauorem, interpretari. Quare nec animi falsus est Antistes. quidquid peragrando circumscripserat, id totum Regis munificentiâ obtinuit. Fama fert, veterum constanti fide fundata, quam hodieque ducta per manus incolarum

opinio confirmat, lapidem, quem vestigio consistens asellus fundo s disterminans, ceræ instar emolliuisse fertur, ad hanc diem parentibus aruis Maurolegium inter & Haselacum iisdem vestigiis conseruatum; quemque aduenis passim Maurolegienses ostendũt. Tunc igitur Haselacensi Cõgregationi cõtributę, pręter agros siluarũ atq; pascuorum abundè villæ coloniæq; rusticæ variis locis complures; *Mansos* appellabant. ipsa Regia *Kircheimensis*, quam recens magnis impendiis eduxerat, cum vicino *Maurolegio* Haselacensibus cessit, vt DAGOBERTI Diploma declarat, quod hodieque in eius templi schedis conseruatum mox producemus. Exinde Florentio etiamtum superstite, Basilicæ Cænobiiq; structuram solo pratis pascuisq; irriguo, amænissima conualle surrexisse constat. quorum amplitudinem tum cætera, tum frons Templi hodie superstes visendi operis retinet. Sed iã ad asserendũ Regiæ munificentiæ decus haud abs re duxi, verbis quoq; ipsis, vt à DAGOBERTO tradita perscriptaq; fuerunt, referre.

DOCVMENTVM REGIVM.

Fundationis Haselacensis.

IN NOMINE SANCTÆ ET INDIVIDVÆ TRINITATIS. Amen.

DAGOBERTVS *Diuina fauente clementia Frācorum Rex. Omnibus regni sui Principibus, imò cunctis fidem Christianam profitentibus tam futuris quam præsentibus, gratia vobis & pax ab eo, qui est, & qui venturus est, omnipotens. Votum, quo Deo & Sanctis se quis obligauerit, sine macula reatus irritum fieri non poterit.*

rit. Et quanto maior & dignior est is, cui vouetur, eò ferietur grauiori iudicio vouentis, & non reddentis præsumptio. Debemus igitur & volumus nos quoque reddere, quod vouimus Domino Deo terribili, & ei, qui aufert spiritum Principum, terribili apud omnes Reges terræ. *Qualiter in brachio suæ virtutis nos terruerit, & qualiter percutiens & sanans, rursus nos visitauerit, omnibus ad exemplum correctionis notum fieri dignum duximus; præcipuè, vt quisquis fidelis, audito nostro periculo, ab Ecclesiarū Dei vastatione se contineat, & honorem congruum rebus Deo dicatis exhibeat. Primum ergo de diuina super nos habita terribiliter examinatione, postea de voto & voti nostri redditione breuiter exponemus.*

Patre itaque meo LOTHARIO Rege felicis memoriæ defuncto, Patris regni curam suscepi. Sed iuuenili ductus leuitate, dominijque cupiditate distractus, Regalis officii debitum neglexi, nihil exhibens commissis sollicitudinis, vel diligentiæ, nihil faciens, vel iudicans mansuetudinis, aut Zelo iustitiæ. Inter alios excessus meos, Ecclesiarum destructor & dissipator esse cœperam, quarum defensor & sublimator esse debueram vel fuisse, nec diuinæ Maiestatis oculos, nec miseram hominum veritus acclamationem. Tandem Dei benignitas obstinatæ mentis superbiam conterens, virga correptionis iniquitates meas visitauit, & castigato mihi veniam non denegauit. Nam raptus in sublime, diuinæque Maiestati inter Choros Angelorum in habitu iudicantis sedenti præsentatus, austerissimis Ecclesiarum Patronis, pro rebus Ecclesiasticis per rapinam distractis à me, & consumptis, grauiter & constanter sum accusatus, & maximè à S. Dei Genitrice Maria, & à susceptore animarum S. Michaële Archangelo, atque à Beatissimis Petro & Paulo Apostolorum Principibus. Cumque conscientia grauatus non auderem defendere, ex arbitrio Præsidentis

pœnæ ſum addictus, diuque cæſo & pœnis atrocibus confecto adeſt prædictus Archangelus, flammeo gladio ſuper me extento, vltionem de ſibi vſurpatis bonis Sanctorumque, quos prænominaui, & propter acclamationem inopum & pauperum, in me volens exercere; quibus materiali gladio infeſtus eram, iudicia non iudicans recta. Tandem aduenit ſpecialis meus Patronus, Epiſcopus DIONYSIVS, *pro me ſatisfaciens S. Michaëli Archangelo, qui dilationem pœnæ & pœnitentiæ in tempus obtinuit. Idem ipſe quaſi modum ſtatuens pœnitentiæ, in hoc mihi ſpem plenæ indulgẽtiæ poſuit, ſi ad honorem Dei & Sanctorum prædictorum, quos magis offenderam, Eccleſias diuinis ſeruitiis aptas conſtruerem. Qua promiſſione lætatus, lubens voui, dimiſſuſque à ſupernis, rediJ. Igitur ſub certa ſpe indulgentiæ, & remiſſionis peccatorum meorum, reddens alacri ſtudio votum, quod feci; Monaſterium in honorem S. Trinitatis ac S Mariæ perpetuæ Virginis, quod* HASELAque *vocatur, in meo regno, ac Diœceſi Argentinenſi ſitum conſtruxi. Sed honorabili Florentio Dei amico, ac tunc ibidem in ſolitudine commorante, diuini inſtinctu ſpiritus à me impetrante, iam dictũ Monaſterium ſublimare, & regali munificentia ditare decreui. Dans prædicto Monaſterio, & in perpetuum datum eſſe volo, de rebus fiſci mei illic adiacentibus, quidquid ad me ſpectat tam in villis, quam mancipiis, ſiluis, vineis, campis, pratis, paſcuis, aquis, aquarum decurſibus, & omnia hæc in vſum Monaſterij antedicti, & fratrum ibidem Deo ſeruientium ſeu fãmulantium, ſub canonicali tamen regula degentium, liberâ donatione redigo. Trado etiam venerabili Dei cultori Florentio, ſuæque Eccleſiæ, locum ac vallem terminorum Voſagi, quæ ſcilicet pro ſolitudine ſeu eremo, necnon pro requie & exſpectatione generalis reſurrectionis ſibi ſuiſque ſequacibus fideliter elegit. Sed & ne Seruitores diuini cultus ibidem videlicet, & loco & Eccleſia prædictis,*

penuriam

penuriam aliquam vel aliquem materialis substantiæ paterentur defectum; Regalem meam habitationem bene ordinatam seu procuratam KIRCHHAIM *cum suburbijs* MARLEY, *vallem corona, Virdenheim, villam Vene, castellum situm in monte iuxta stratam Tabernensem vsque ad riuulum Osellum cum omnibus adiacentibus* hubis, *siluis, vineis, campis, pratis, pascuis, aquis, aquarum decursibus ipsis trado. Locum autem sæpedictum, quem singulari amplectimur dilectione, nunc & deinceps ab omni seruitutis oppressione liberum sub regali tuitione esse volo; ita videlicet, vt nullus Iudex publicus ex iudiciaria potestate quidquam potestatis vel negocij in ipsis* Marchis *exercere vel habere præsumat, nec homines locorum ante dictorum adstringere, vel ad caussas audiendas,* freda *vel tributa soluenda, postremo nihil penitus audeat ab ipsis exigere. Vt autem mea traditio, & iuris, & concessæ dignitatis institutio stabilis & inconcussa iugiter permaneat, chartam hanc inde conscriptam disposui adiectione sigilli mei, appensioneque roboratam signaui. Datum quod feci cum filijs meis* CLODOVÆO *scilicet atque* SIGEBERTO *in dicto Haselacensi Monasterio, Fratribus ibidem diuino famulatui deuotè insistentibus. Huic traditioni interfuerunt* NANTHILDIS REGINA *Francorum mea legitima, cum filia nostra* RATHILDE. *Affuerunt etiam Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, Præpositi, Duces, Marchiones, Palatini, Comites, & plerique Principes Regni mei. Actum est hoc anno ab Incarnatione Domini Sexingentesimo Tredecimo, mense Aprili, die sexta decima, in loco sæpe nominato. hactenus Diploma Regium.*

Ex quo & suauem diuinæ prouidentiæ, Regē è vitiorum cæno fortiter ac potenter extrahentis manum agnoscas; & Catholici Monarchæ diuinis monitis obtemperantis promptitudinem, cum anteactæ vitæ penitu-

dine, sinceraque pietate, qua in Seruos Dei ferebatur, coniunctam, meritissimo collaudes. At de anno, qui ad calcem Diplomatis notatur, suus erit infra dicendi locus. Nos ad D. Florentiũ tantisper remisamus. Quo superstite, non *Haselacensis* duntaxat Templi & Cænobij culmina, vti narrauimus, surrexisse, literis diplomatum satis exprimitur; sed & aliud D. THOMÆ sacrum Cænobium *Scotis* accipiendis, ab eodem intra Vrbem Argentoratensem collocatum veteres schedæ loquuntur. quorum posteri cum propter collapsa maiorum studia, monasticen non explerent, vtrumque domicilium in Canonicorum Ecclesiam transmutatum est. Iam Florentius post multas res præclarè gestas, quas publicus Ecclesiæ Argentoratensis vsus vetere Breuiario quotannis commemorando laudat, & nos ex MS. insigni Codice quandoque recolere meditamur, supernè admonitus, mortalium laborum finem, æternitatis præmium adesse; discipulis vnà conuocatis, futuræ mortis diem prædicit, eosque multum de virtute commonefaciens, tam Congregationem *Haselacensem* & *Thomæam*, quam *Argentinensem Ecclesiam* Deo precibus commendat. exinde inter suorum complorantium manus placidè exspirans cęli metas attigit, die sextodecimo Kal. Ianuarias, post octauum Episcopalis functionis annum, qui fuit Verbi incarnati DCLXXVI. Eius memoriam accolæ indigenæque, propter opem languentibus, & varij generis infirmis; sed herniosis vel maximè præstitam, non solum aniuersario, sed quotidiano etiam cultu, & præcipua veneratione prosequuntur. ex quo RACHIO Antistes, diuino admonitu, pignoribus S. Florentij eleuatis, atque Argentinâ, non sine cælesti prodigio, Haselacum transportatis (quæ etiamnum in Principe Templi ara condignis honoribus custodiuntur) ibidem

post

post funera quietis sibi locum delegit. In cuius sepulcralem cippum cum pronuper lustrabundus incidissem, hanc epigraphen fugientibus pæne characteribus incisam testem veritatis reperi;

PER QVEM PRÆLATVS FLORENTIVS ILLE BEATVS
ILLVC TRANSLATVS, RACHIO IACET HIC TVMVLATVS.

Extat etiam apud *Haselacenses* commendabile auitæ pietatis monimentum, qua *Carolus* eius appellationis IV. Imperator, trisæclo abhinc elapso, Alsatiam peragrans, cum pleraque vetusti operis mausolæa aperiri iussisset, venissetque *Haselacum*, tactus eiusdem Patroni reuerentia, reserato loculo, eius ossa bombycinis implicata pannis piè castèq; veneratus est. Cuius testificationem post se relictam alium in locum integram reseruamus.

NOTA.

Diuina in DAGOBERTVM vindicta, cuius in Diplomate mentio fit, gemella in Carolum Martellum animaduersione firmatur.

EX hoc DAGOBERTI ad diuinum tribunal euocati viso perspicuè aduertas Lector, sacrilegia nulli vnquam Principi stabile vectigal peperisse; quin Dominis plerumque suis, vt aurum Tolosanum, perniciem attulisse, comitibus sacrilegi peculatus penuria pœnaque post se relictis. Id quod consequente sæculo Carolus Martellus, sed funestiore præ DAGOBERTO nostro euentu condidicit. Extat Epistola Antistitum Remensis & Rhotomagensis Ecclesiarum ad Ludouicum Regem missa anno Christi DCCCCLVIII. cuius verba integrè Baronius annalium Ecclesiasticorum tomo X. & interpolatè tomo IX. appendit. sunt autem eiuscemodi. *Quia vero Carolus Princeps Pipini Regis Pater, qui primus inter omnes Francorum Reges ac Principes, res Ecclesiarum ab eis separauit atque diuisit, pro hoc solo maximè est æternaliter perditus. Nam S. Eucherius Aurelianus Episcopus, qui in*

Monasterio S. Trudonis requiescit, in oratione positus ad alterum sæculum raptus, & inter cætera, quæ sibi Domino ostendente conspexit, vidit illum in inferno inferiore torqueri. Cui interroganti, ab Angelo eius ductore responsum est, quia Sanctorum iudicatione, qui in futuro iudicio cum Domino iudicabunt, quorumcumque res abstulit ac diuisit, ante illud iudicium anima & corpore sempiternis pœnis est deputatus, & recepit simul cum peccatis suis pœnas propter peccata omnium, qui res suas & facultates, in honore & amore Domini, ad Sanctorum loca luminaribus diuini cultus, & alimoniis Seruorum Christi ac pauperum, pro animarum suarum redemptione tradiderunt. Scio nonnullos hanc epistolæ historiam imposturæ & fraudis postulare; idque potissimum eo permotos argumento, quod annorum supputatio non consentiat. Eucherium enim mortuum aiunt sexto exilij anno, qui respondet Christiano, DCCXXVII. aut certè DCCXXXI. at Carolum Martellum constanter asserunt DCCXLI. quaterdenis, aut minimum denis post D. Eucherium annis oppetiisse. Sed obstat primum grauissima Scriptorum autoritas coætaneorum; vt D. Bonifacii, epistola ad Ethelbaldum Merciorum in Anglia Regem, hoc exemplum reuocantis, vt Regem à simili facinore auersum eat; Flodoardi in Ecclesiæ Remensis historia; Adreualdi Floriacensis, qui addit, hortantibus S S. Eucherio & Bonifacio visionis huius testibus, Carolomannum Martelli F. Pipini Fratrem, regni principatu abdicato cucullum induisse. quos de Martello innoxio fabulam finxisse tã attrocem & probrosam lõgè censeas infra Catholici nominis, nedum Episcopalis dignitatis reuerentiam, & illius æui disciplinam. Nec machinis ferè aliis eius autoritas oppugnatur, quam quæ ex temporum luxata serie, & annorum mendo struitur. quod expugnandi genus, si in omni memoria valere debet, multa quæ in Ecclesiastica historia rectè constituta sunt, illicò ruant necesse est. Denique ex S. Trudonis vetustis annuis, quos doctissimus Carolus Sasseiius Aurelianensis, Annalium suorum li. V. producit, manifesto conuincimus, S. Eucherium non sexto, at decimo sui Episcopatus anno, qui cum anno Christi DCCXLIII. concordat, vita functum, quem Anno DCCXLI. nimirum biennio ante Eucherium, Carolus Martellus anteiuit.

Bonifac. in epist.
Sur. in vita S. Eucher. & S. Rigoberti
Adrouald. l. 1. de miracul. S. Bened. c. 14. & l. 2. c. 12.

Caput

Caput XVIII.

DAGOBERTVS Cœnobium Weissenburgense in Alsatia inferioris collimitio Regia munificentia condit, ampliatq;.

CElebris ea tempestate fama erat Sodalium è Diui Benedicti familia, quorum coloniæ in varias Galliæ & Germaniæ partes, vti supra commemoratum est, mittebantur. Itaque DAGOBERTVS, qui remp. suis iam nitentem viribus, parta pace, profligataque impietate, nulla re perinde, quam puritate religionis & sapientiæ studio conseruari nôrat, ad pleraque religiosa domicilia, quæ per Alsatiam regia munificentia eduxerat, id genus monachos euocabat. Est in Vosagi faucibus, peramæno ad Luteram amnem situ, Sebusium, peruetus Romanorum Colonia, ipso Alsatiæ collimitio municipium Iulio Cæsari non incognitũ, & Iuliani Apostatę irruptione apud Ammianum celebre oppidum, tum, quando exercitu ad Vesontionem conflato, Alemannos oppugnatum venerat, qui iam Argentoratum, Brocomagum, Tarbellos, Sebusianos, Nemetes, Vangiones, & Maguntiacum, ciuitates possidebãt. Longulè hinc fons oritur, qui medius ciuitatem perluit, & Pinetum versus molli flexu decurrens, viciniaque peragrata, proximè D. Germanum adlapsus, indeque per Sebusium ad D. Remigii deuolutus, tandem ad Luteræ Castrum Rheno miscetur. Hic DAGOBERTVS magnificum regiis impendiis Cænobium inclyto ministeriorum numero, Diui Benedicti regula temperatum excitauit; quo nullum in Alsatia in-

Cæs. l. 1 Cõment. belli Gall.
Amian. Marcell. l. 16.
B. Rhenan. l. 3. rerum Germ.
Cod. MS. Manast. Sebusiau.
Chrõ. Spir. Lauterbrõ Thau. vulgo Lauterburg.

feriore diuitiis amplitudine dignitatis,& maiestate illustrius olim fuit,quippe Caroli Magni æuo (si prisci quidam indices fidem merentur: quod tamen mea quidem sententia rectius ad Ottonem Magnum referas) quaternis S. Romani Imperii Abbatiis Augustalibus adnumeratum. huic templum Diuorum Petri & Pauli patrocinio ac nominibus sacrum adstruxit. is enim fructum tutelæ magnum in eo expertus erat, quod admissorum præteritæ vitæ dolorem morumque emendationem Sanctorum pia suffragatione adeptum se meminisset. neque Cænobium modo, sed & Basilicam latifundiis, aliisque facultatibus affluentissimè cumulauit,amplissimis immunitatum prærogatiuis regificè stabilitum. Hinc *Mundati* Weissenburgensis origo manauit.quod & *inferius* appellarunt, ad *Rubeaquensis* in superiore Alsatia constituti disparationem, vti supra dicebamus. quin ad hanc diem totus, quam latè patet districtus Sebusianus, cippis terminalibus clauem (quæ D.Petro cęlesti Ianitori Sacrum indicet) sparsim insignitis distinguitur. quem multis tamen partibus per hæreses accisum videmus. Itaque cum crescerent opes quotidianis piorum hominum ad regiam beneficentiam accessionibus,florente simul religiosa disciplina, æmulatione virtutis & eiusdem exempli pulcritudine complures accensi,ad eandem diuini cultus assiduitatem sub D. Benedicti instituto se obstrinxerunt. Hinc vno neque capaci Cænobio attineri omnes nequibant. Quare coloniis aliò deductis,quatuor extra muros Weissenburgenses Cænobia (quæ *Cellarum* nomine superius indigitauimus) ad totidem Orbis plagas, S. *Remigij* ad Ortum, ad Occasum S. *Germani*, S. *Mauritij* ad Meridiem, denique ad Septemtrionem *S. Pauli* aduocatione insignia collocarunt. quorum Præpositis è Corpore Sebusiano-

rum

rum Cænobitarum communi suffragatione dilectus, administratio ita credebatur, vt à primario Cænobio atque Abbate ius & leges acciperent. Extant elenchi antiquitate & methodo sua spectati, qui per villarum & hominum tum donantium, tum pensitantium nomenclaturas, recensent traditiones fidelium, qui de diuersissimis regionibus ad stuporem legentium confertim Monasterio Weissenburgensi, sua prædia, immensas areas, agros, pascua, prata, vineta, siluas, domos, seruitiorum pecorumque vim, ac numerosam familiam contulerunt. quorum vtinam sicut nomina tenemus, ita fructus iis, ad quos pertinent, iure postlimii vel serò tandem redirent. Sed hæc tunc potissimum collapsa reperimus, posteaquam religiosæ disciplinæ velut de manibus excusso gubernaculo, vitia cū diuitiis subintrarunt; & per hæreses præterito sæculo his potissimum regionibus incumbentes, sacra omnia sacrilegè interuersa sunt: funditus etiam peritura, ni probato id temporis, iustoq; consilio Abbatia in Præposituram, Clementis Papæ VII. assensu transeunte; demum, Paulo id nominis III. Pontifice Maximo, & Carolo V. augusta memoriæ Cæsare connitentibus, Præpositura Weissenburgensis in Episcopatus Spirensis ius ac ditionem adoptata iure perpetuo cessisset. Sed nos *Sebusinum* reuertamur. Vbi mecum obserues licet, Basilicam augusti cultus structuræque, cuius tam exterior quam intestina machina opere peruetusto & maiestatis pleno regiam spirat pietatem. Ad eandem DAGOBERTVS ornamenta quoque sua congessit, non tam pretiosis gemmarum, auri, argentique metallis (quamquam ne illa quidem hic desideres) quam nobilibus Diuorum pignoribus, arcisque ac lipsanothecis conspicua; quorum in hanc diem licet obsita vetustate vestigia supersunt. Anteeunt

Brusch. de Monast. in Albo Castro.

vero

vero memoriæ principatu SS. SERGIVS & BACHVS nobilissimi sub Maximiniano tyranno pro Christi nomine Athletæ. horum tumuli cælato auro argentoque affabre illustrati, summam Templi Aram vtrimque ambiunt. Extat veteris libri Weissenburgensis operimento notata de hac Sanctarum reliquiarum iterata repertione, deq; celeberrima panegyri scriptura, quam, ne omninò intereat, hic adscribimus; ita enim habet;

Anno Dominicæ Incarnationis 1252. in natiuitate B. MA●IÆ Virginis, eleuata sunt corpora SS. martyrum SERGII & BACCHI, in Monasterio WIZENBVRGENSI, quæ recondita fuerant retrò altare S. Petri, præsentibus tribus Abbatibus Wizenburgense, Salsense, Hornbacense, & Fratribus minoribus numero circa centum; quorũ tunc Generale Capitulum fuit apud Wizenburgum; præsentibus etiam hominũ turbis vtriusque sexus circa LX. millia & amplius, qui aderant ipso die feliciter. Amen.

In ara media, Crux argenteis laminis præfulgida eminet, quam, vti & maiorem alteram, quæ Sacrario superstat, DAGOBERTI donum esse, vetus traditio est. intra ipsam aram, argento per Samuelem XXXI. loci Abbatem, vt epigraphe conuincit, obductam, D. Irminæ DAGOBERTI Regis filiæ Sacrum corpus loculo includitur hac inscriptione;

Hic

Hic Reconditvm Est Integrvm Corpvs B. Irminæ Virginis, Filiæ DAGOBERTI Regis Francorvm, Fvndatoris Hvivs Monasterii. cui proximè adest altera tumba his verbis efformata;

Hic Reconditvm Est Integrvm Corpvs S. Evgeniæ Virginis Et Martyris De Sodalitate S. Vrsvlæ. quarum tamen ossa desiderij flagrantis pio impetu in alia quoque terrarum loca, & pronuper annuente Illustrissimo Philippo Christophoro Spirensis Ecclesiæ Antistite, eodemque Præposito Weissenburgensi, ad Parthenonem Dagobertini Horrei in Treuiros, videlicet ad veterem Diuæ Irminæ sedem (vti quam à se fundatam ipsa gubernarat,) dispersa sunt. Caput vero, quod à Crafftone Meginharti Spanheimensis Comitis Filio, posteaquam illo beneuolente, Clementia ex Homburgicorum illustri satu ei desponsa, ad D. Irminæ Treuericum Parthenonem se recepit, ipso in Spanheimensium Cænobitarum ordinem relato, indeque Bernhelmi I. Abbatis successore, multa à Weissenburgensibus prece obtentum, (iam olim ante Ioannis Tritemii infulam ad Spanheimensem Congregationem translatum annales perhibent) demum huc ad pristinam stationem reuertisse suspicor, ex quo hæresis Spanheimii inundans Sacra omnia cœpit pessundare. Illud argento & gemmis circumfulgens, atque augusto vertice, suâ epigrapha notatum, etiam nunc Weissenburgi attinetur, vna cum preciosis lipsanis aliarum Diuarum, vt Qverelæ de comitatu XI. millium Virginum, *Christinæ* Virginis & Martyris, Brigidæ Virginis venerandum. vt interim non memorem diuersorum Martyrum & Homologetarum Gregorii Dvcis Mavrorvm, Alexii,

Caput S. Irminæ filiæ Dagoberti.

EVLALIÆ, ANASTASIÆ, &c. glorioſa vel membra, vel corpora, pleraque per DAGOBERTVM loci parentem aliunde adſcita; quæ huius Monaſterii Sacrariis condita reuerenter coluêre maiores, & ingenti olim conuenarum multitudine religionis ergô affluentium piis precibus ſalutabantur. quibus Sacrum pignus S. HENRICI MINGERI innocētiſſimi puerul adnumeres; media Baſilica illuſtri Mauſolæo intra ferratos cancellos recluſum; cui ſeptenni, cruenta cæde Iudæi vitam, furialem in modum eripuerunt, anno poſt Chriſtum natum MCCLXX. die, qui Chriſtianis faſtis anniuerſario cultu, SS. Apoſtolorum Primoribus ſacer eſt. at Deus, malignitate perfidorum prodita, & condignis pœnis vindicata, infantilem Martyris patientiam multis deinde illuſtribuſque prodigiis decorauit. Claudat porro hunc ſacratiſſimum cæleſtium exuuiarum cenſum, ZONA Deiparentis Virginis, nobili metallis gemmiſque precioſis ſcriniolo repoſita. quæ voluntate ſtudioque R. D. IOANNIS CHRISTOPHORI HARTMANNI Sebuſianæ Eccleſiæ Decani digniſſimi, dum vnà precioſam Diuorum ſyntheſin, atque Baſilicæ interiora rimamur, ex arcula ſubtiliſſimo byſſi contextu in conſpectum venit, cum hac loculi inſcriptione;

ABDITVR HIC ZONA, QVA VIRGO PVERPERA CINCTA

Zona B. V. M. EDIDIT HVNC NATVM, QVI CONDIDIT OMNE CREATVM.

Eiuſdem cinguli religionem apud Weiſſenburgenſes atteſtâtur frequentiſſima etiam hodie puerperis in difficultate pariendi, ad eius contactum exhibita beneficia. Memoratu quoque & commendatione digna eſt CORONA benè vaſta, medio Eccleſiæ tholo propendens, LXXII. pedes circulari ambitu complexa; quæ

ſi, vt

ſi, vt coram percontatus, à fide dignis ex fama & traditione veterum, accipiebam, hac magnitudine, ex auro fabrefacta fuit, ingens ſanè precii pondus habuit; eamque merito apud maiores noſtros dignitatem promeruit, vt & nomenclaturam ciuitati adderet, & Præpoſituræ inſignibus circumferretur. Inuentum operis ad DAGOBERTVM conſtanter referunt. cui diu poſtea, Samuel Abbas ſupra collaudatus, forma & ſpecie gemellam è ferro ſubſtituit, auroque illuſit; adſcriptis per circumferentiam aliquam multis verſibus, quorum (vti illa ætas ferebat) impolitia non faciet, quin fragmētum huc reponamus.

Hic Deus è cælis inſtruxit cor SAMVELIS,
Vt faceret notū cunctis laudabile votum,
Quod fore ſincerū probat efficacia rerum.
Namque ſub octauo Sacroſancti ordinis anno
Artem per meram dedit hanc ſplendeſcere SPHÆRAM
Non tam præſumptus, quam toto pectore promptus. &c.

Nec mirum, aureo nunc ſæculo dudum euoluto, coronam hanc vnà cum cælo aheneam aut ferream euaſiſſe. At iam per DAGOBERTVM Weiſſenburgicæ Congregationi factam donationem, regioque Diplomate roboratam inſpiciamus.

DIPLOMA DAGOBERTI REGIS,

Quo fundat & dotat Monasterium Weissenburgense.

D*AGOBERTVS Diuina fauente clementia Francorum Rex, omnibus Regni sui primatibus, imò cunctis fidem Christianam profitentibus tam futuris, quam præsentibus.* &c. Vbi non sensu tantum, sed & verbis omninò iisdem, iniecta denuò commemoratione de viso sibi oblato Christi Iudicis, Sanctorumque se grauiter de peculatu incusantium, ac Dionysij patrocinantis, denique voti ab se concepti, quæ semel in Haselacensi syngrapha Fundationis syllabatim appensa, consultò præterimus; tandem subnectit:

Igitur sub certa spe remissionis & indulgentiæ peccatorum meorum, reddentes alacri studio votum, quod fecimus, Ecclesiam in honorem S Trinitatis, & S. Mariæ perpetuæ Virginis & SS. Apostolorum Petri & Pauli in loco, qui dicitur Weissenburgh *construximus, quam sublimare & regali munificentia ditare decreuimus. Donamus ergo ei, & in perpetuum datum esse volumus de rebus fisci nostri illic adiacentibus, quidquid ad nos spectat tam in villis, quã mancipiis, siluis, vineis, campis, pratis, pascuis, aquis, aquarumue decursibus, & omnia hæc in vsum Fratrum ibidem sub monastica professione Deo seruientium libera traditione redigimus. Et vt huius nostræ donationis autoritas in omne tempus stabilis & firma perseueret, terminos & circumiacentium nomina locorum subnotare curauimus. Versus Orientalem plagam extenditur* Marcha, *quam tradidimus vsque ad* Morchenhofen/ *& ad* Altenferde/ *& inde* Ge-bo:tsbergh/ *& inde subter vadum Lutræ, & inde* Buch-tingshuch/ *& inde ad limitem, qui stat in summitate vallis*

Juuensthal/ *& inde ducit ad meridionalem plagam: super* Warßbach/ *& inde ad* Bodenlosenstamff/ *& inde ad* Seebach/ *& inde ad* Kirchthall *& inde ad* Jngolstain, *& inde ad siluosos montes vsque ad* Bedebur. *At Occidentalem vero plagam vsque ad* Lutenbach/ *&* Berenbach/ *& inde ad* Erlenbach/ *& inde ad* Greüenburnen *& inde ad* Osterischeid. *Ad Septemtrionalem plagam vsque ad* Eichenbergh. *Locum autem ipsum, quem singulari amplectimur dilectione, iam & deinceps ab omni seruitutis oppressione liberum sub regali volumus esse tuitione, ita videlicet, vt nullus Iudex publicus, nullus ex iudiciaria potestate quidquam potestatis vel negocij in ipsa Marcha sine Patris Monastery licentia exercere, vel habere præsumat, nec loci ipsius homines constringere, vel ad caussas audiendas, aut* freda *vel tributa soluenda, postremo nihil penitus ab ijs audeat exigere. Illud etiam pari decreuimus autoritate, vt nullus Pontificum Nemetensis Ciuitatis, vel reliquorum Episcoporum, aliquam ibidē dominandi, vel quaslibet caussas agendi, habeat facultatem; sed sub nostræ* emunitatis *defensione omnia illuc pertinentia Pater Monasterii cum Fratribus suis liberè & quietè possideat. Adhæc monetam in se habentem imagines, expressamque similitudinem Nemetensis monetæ eidem loco concedimus, parique nostræ autoritatis donatione ratum & firmum esse volumus; vt homines eiusdem Ecclesiæ per omnes fines Regni nostri liberè negociis suis inseruiant; ita videlicet, vt nulli debitum telonii persoluant, & nullus Iudex seu cuiuscunq; ordinis persona, in huiusmodi caussa violentiam eis aliqua inferre præsumat. Fratribus autem ibidem Deo seruientibus, vt & deuotius & tranquillius sanctæ conuersationis ordinem custodiant, liberam inter se eligendi sibi Abbatem donamus potestatem. Cui Abbati, omnibusque ei succedentibus hoc speciale concedimus priuilegium dignitatis, vt in*

ordinem & ius possit promouere ministerialium, quemcunque de familia tali honore dignum iudicauerit. Omnes etiam Ministeriales eiusdem Ecclesiæ ex Domino Abbate accipiant beneficium, solique Abbati seruiant; nec vllam potestatem super eos Aduocatus exercere audeat, nisi forte ex aliqua inobedientia, quasi ad rebelles illos Ministeriales constringendos Abbas Aduocatum inuitet. Reliqua vero familia, legitimo loco & tempore ter in anno pro iustitia facienda ad placitum Aduocati debent conuenire, & in seruitium Aduocati, si præsens est, singuli singulos denarios soluere, exceptis his, qui sunt in munitate. *quod si ex his placitis absens fuerit Aduocat⁹, nihil ei ex his denariis debetur, nisi in seruitio Regis esse probetur. Vt autem hæc nostra traditio & iuris & concessæ dignitatis institutio stabilis & inconuulsa iugiter permaneat, chartam hanc inde conscriptam, adiectione sigilli nostri roboratam signauimus. Datum, quod fecimus in ipso Monasterio mense Maio, die vndecima, Anno regni nostri XXIII. in Christi nomine feliciter. Amen.*

DAGOBERTVS REX.

Diplomati annum Christi DCXXIII. autographo consentaneum apud Munsterum; at DCXXIX. apud Tritemium adtextum reperias. Sed vtrumque sua censura in Erfordiensi Dagobertina Donatione notatum discutiemus. Eandem vero DAGOBERTI munificentiã subsequentium Cæsarum, Regum, & Summorum Pontificum augustalibus decretis stabilitam, nouis item priuilegiis atque immunitatibus auctam comperi. Sed præ aliis Otto cognomẽto Magnus gloriam operis consummati promeruisse visus est, qui præter regalis beneficentiæ commendationem Weissenburgensi Cænobio impertitam, etiam ad Fuldensis, Augiensis, Prumiẽ-

ſis nobiliſſimorum ſui temporis Monaſteriorm, deniq; ad quatuor Imperialium Abbatiarum decus ingens prouexit, vt qui Weiſſenburgenſibus cum poteſtate præeſſet, idem Imperii Princeps haberetur. Quæ vetuſtis eiuſdem loci tabulariis comprehenſa in hanc diem ſuperſunt. Non tamen eſt hoc loco prætereunda locuples primæ donationis acceſſio, qua idem DAGOBERTVS vnà cum thermis Badenis Sebuſianæ Eccleſiæ prædia certa numeratò appendit, velut in dotis augmentum. Quæ dotatio *Ratfrido* loci Cænobiarchæ facta legitur hac verborum ſerie;

DONATIO BALNEI AQVARVM CALIDARVM.

DAGOBERTVS Rex Francorum Viris Illuſtribus, Ducibus, Comitibus, Domeſticis, vel omnibus gentibus tam præſentibus, quam futuris. Illud ad ſtabilitatem regni, vel remedium animæ noſtræ perdurare credimus, ſi petitiones Sacerdotum, quas auribus noſtris patefecerint, ad effectum perducimus. Ideo cognoſcat magnitudo ſeu nobilitas veſtra, quia nos ad ſuggeſtionem viri venerabilis Ratfridi Abbatis de Monaſterio VVeiſſenburgo, balneas illas trans Rhenum in pago Auciacenſi ſitas (quas Antoninus & Adrianus quondam Imperatores ſuo opere ædificauerunt) ad Monaſterium, quod dicitur Weiſſenburg / *& eſt conſtructum in honorem S. Petri in* pago Spirenſi, *viſi fuimus conceſſiſſe, cum omnibus, & cum ipſa* Marcha *ad ipſas balneas pertinente, quæ venit de duobus lateribus vſque in fluuium Murga, & de vna fronte ad partem occidentalem* raſta *vna, & de alia fronte ad partem Orientalem leucas ſex, quas homines loci iſtius dicunt raſtas tres eſſe. Propterea hoc præceptum ceſſionis fieri iuſſimus, vt ab hac die memoratus Ratfredus Abbas, vel Patres ipſius Monaſterii*

VVeissenburgensis, suique Successores vel Monachi ibidem commemorantes, de suprascriptis balneis, quas dicũt aquas calidas, vel Marcha ad ipsas balneas pertinente, faciant quod maluerint, hoc est, habendi, tenendi, suisque Successoribus relinquendi firmissimam habeant in omnibus potestatem. Et, vt hæc præsens autoritas firmior sit, manu nostra vel annulo nostro subter eam decreuimus roborari. Data sub die XI Augusti. Anno Secundo Regni nostri. In Christi nomine.

DAGOBERTVS REX.

Chron. Argent. Acta Vveissenb. Anno MDV.

Hæc Regia diplomata cum aliis compluribus, *Rudigerum*, Abbatum Weissenburgensium postremum, eundemque Primum Præpositum, Maximiliano Augusto, eiusque filio Philippo, Hagenoæ & frequentissimo S. R. I. Principum cætui ius contra Philippum Comitem Palatinum Rheni dicenti, exhibuisse fasti Alsatici asserunt. *Thermæ* porro *Badenæ* posteris annis in eiusdem appellationis MARCHIONES domi militiæque id temporis inclytos, & huic Ecclesiæ liberali clientelâ deuinctos, feudi iure translatæ sunt. quorum vtinam sera stirps, sicut patrimonia, sic virtutem & religionem animo gerat, armisque more maiorum tueatur. Vide interim contra nostri temporis heterodoxiam, DAGOBERTVM Regem verè pium & Catholicum, *sub certa spe indulgentiæ & remissionis peccatorum suorum reddentem votum, quod Deo Sanctisque vouerat. credentem* præterea, *illud ad stabilitatem regni & remedium animæ suæ perdurare,* si Religiosorum, & Sacerdotum petitionibus faceret satis. id quod castissimo pietatis sensu Regem nostrum cumulatè præstitisse, quæ in hanc diem supersunt, monumenta testatum faciunt.

NOTA.

NOTA.

Semibarbararum vocum, quarum vsus est in Diplomatis, hactenus recitatis, explicationes.

RES & locus hic postulant, vt vocabulorum quorundam veteris æui vsum velut in transitu explanemus, quæ tum hoc Sebusiano, tum superiore Haselacensi Regio Diplomate continentur.

MARCA, vt aliàs significauimus, *limitem* vel collimitium signat, forte à Germanico Marck / quod vernacule limitem territorij siue agrorum denotat. estque obuia mentio *Marcarum* compluribus etiam posteris Regum Diplomatis, Carolinis potissimum, & qui eum secutus est, Ludouici Pii. Venit etiam in manus elegātissima V. T. paraphrasis per Rodulphum ab Embs abhinc annis, vt Bibliander ait, quingentis conscripta, vbi Marcarum meminit istis verbis; MARCA.

Des Landmarck vahit an
Zu dem Gebirg an Caucasas.
Dir ander sunder Marcke waß
Das rothe Meer dar gat sein strich/
Vnd scheidet in der Marck sich.

A *Marca* (pro quo etiam *Margum* reperio) *Marchionum* appellatio plerisque orta, qui Germanis Marggrauen. vnde & Μαρχίσιον Gregoras apud Nicephorum vsurpauit. Sed de hoc iam supra meminimus. P. Pith Glossar. Aimoin l. 4. c. 109 l. c. 2.

HVBA, quam Houbam alii, vel Husam, siue Hiusam, & leges Longobardicæ Giusam vocant, Frisæus partem vult esse fundi, seu villæ, in plures hæredes dispertitæ: Auentinus, agros bigis arari solitos; Vadianus fundi partem maximè pascuam. Spiegelius, latiorem ait, quam vt huc arctari debeat, omnemque terram complecti seu messi seu fænisecio accommodam, in qua plures casæ sint. Ego sic obseruabam; Hubam non certæ mensuræ terram esse; sed indefinitæ, pro cuiuslibet loci commodo aut opportunitate, tantumque ferè agri comprehendere, quantum rustico ad rem familiarem tuendam satis est. ab Hubis dicti HVBA.

Coloni Hubarum cultores. Vnde non nemo vocabulum Kölner apud Germanos exortum suspicatur, quorum sit, redditus ab Colonis exigere, quosque in Austriacis ditionibus Houb Meister quasi Hubarum Magistros dictos notaui. Atque vt à curtibus Curtarii, à mansis Mansuarii, sic ab Hubis Hubarii, vulgo Hüber deriuantur. prout non vno exemplo peruetusti Codicis Lutenbacensis (quem nuper beneficio Amplissimi tum Passauiensis Cathedralis, tum supra laudatæ Ecclesiæ Præpositi Iacobi Christophori Kempff ab Angret coram intueri datum est) promptū fuerit contestari; vbi sæpenumero Dinghoff leuth & Hüber pro eodem accipiuntur. Hüber autem ab Hüben deflexisse ex Latio fatetur Goldastus, hanc citans gnomē è peruetéri Codice vernaculo; Es ist hütr min/ morer din.

So theilet man die Hüben.

Cæterum Hubarum alias faciunt Dominicales, Herrenhöff; alias censuales, Zinßhöff; alias tributales, Gülthöff; denique seruiles, Dinghöff siue Kölnerhöff. Ac licet magna Hubis affinitas sit cum curtibus, de quibus alias; disparitatem tamen vetustæ donationum chartæ conuincunt.

FREDVM. FREDI vocē (quā aliqui Fredam, Fretāalii nuncupāt, Gregorius Turonensis compositionem fisco debitam interpretatus est, cui diploma Pipini Regis apud Aimoinum concordat. qui tamen penitus ista rimati sunt, multam aiunt esse ob turbatam pacem (quam Saxones hodie & antiquitùs Germani Fred appellant) Magistratibus pendi solitam. Ex quo non probes eos, qui fredam cum banno confundunt. bannum enim, vti ex legibus Longobardicis & Carolinis Constitutionibus obuium est, multa erat LX. solidorum, aut totidem ictuum verberatio: quo pænarum periculo veteribus morem fuisse perhibent euocandi ad bellum, atque hinc ad quasuis exactiones pænalem vocem ampliatam Pithæus & Schardius obseruant, iam a. freta Germanis Fretereÿ pro vectigali vexatione acceptum videas.

Greg. Turō l. 4. de Gestis S. Martini c. 26. Aim. l. 5. de gestis Frāc. c. 17. Capit. Caroli M. l. 3. c. 50. Pith. l. 2. obser. subc. c. 20. Schard. in lexico Iuris.

PAGVS. PAGVM Spirensem tum hic tum in consimilibus alibi accipias velim non ea notione, qua hodie vulgo capimus, quaue ἀπὸ τῆς πηγῆς doricè πάγας f. fonte deriuatur, quasi regio dicta, in qua sit amnis aut flumen; quod olim domicilia fontibus attigua

rusticani

rusticani ædificarent. vnde & pagani dicti. qui eodem fonte vterentur: sed ea potius amplitudine, qua Iulius Cæsar Sueuorum & Heluetiorum pagos quatripartito quasi regionatim tribuens accepit; vt primus à Fluuio Duria Turgouius. alter ab Tiguro metropoli Tigurinus vulgo Zürichgaw. & horum vterque. Francis ac Burgundionibus remp. gerentibus, communi vocabulo Alemannicus dictus. tertius Cæsari Verbigenus, hodie ab Arola siue Aar fluuio, Ærgouia. quartus deniq; Nantuatius. s. Antuatium, hodieque à primaria vrbe Wifflis. burgoia dictus. Atque hoc significatu Pagi nomine Sattapiæ frequenter & Comitatus, imo integræ ditiones, Aimoino, Rheginoni, cæterisque rerum Francicarum Scriptoribus, quin & Hieronymo in Eusebiano Chronico appellati fuerunt.

RASTAM s. Rustam denique illud terræ interuallum capio, quod milliari Germanico constat. & vocem Raste perantiquam apud Germanos notat D. Hieron. in Ioëlem. Et vel hinc colligas, quod Glossarii passim docent, geminas leucas facere rastam vnam; quod in Diplomate Dagobertino leucæ sex facere dicantur Rastas tres. leuca vero Gallicana mille quingentis passibus conficitur. Iam viarum mensuras, quas Hispani Gallique leucis, Syri Schænis, Persæ parasangis, Græci stadiis, Itali milliaribus, lapidibus, cippis disterminant, has Germanis per Rastas distinguere mos est.

Caput XIX.

DAGOBERTVS Surburgense, Clingense, Regiopontanum, Monasteria Alsatiæ contermina, fundat, dotatque.

IAM etiam aliorum Cænobiorum memoriam, vt possumus in præsenti ætatum hominumque iniuria, literis amissis multisque disperditis, obire fert animus. quæ cum he- Annal. Spir.

betata vetustate, vitam omnem hodie non retineant; eam tamen lucem laudemque Dagobertinæ munificentæ infundunt, vt vel hinc commendationem apud seros posteros mereatur: quorum cum tenuia solum vestigia supersint, ea breui narratione per transennam duntaxat inspicienda offerre, ad fugacis memoriç damna quadantenus restauranda, nihil obstabit. Igitur Suraburgi, vico, qui ab influente riuo nomen accepit, Ædis Sacræ structuram media silua (quam ab Anachoretis inquilinis olim Sanctam dixere maiores) pulcritudine ac proportione non inuenustam extulit, Sedem D. Arbogasto, quem supra commemorauimus cognitam, cultamq;: cui videas circumiectum loci patrimonium, agros, qui ad quatuor cæli plagas circumquaque se diffundunt, nemorum item ac pascuorum abundè; quibus siluosa planicie arbores ambientes vndique assurgunt. verum monasticæ disciplinæ isthic inchoatæ primordia eiusmodi esse voluerunt Conditores, vt Cænobitæ S. Benedicti legibus adstricti, in Deiparç Virginis & S Martini Turonensis perpetua degerent tutela: quibus pia posteritas, in memoriam reuocans, cuius ista præsidio consilioque ab DAGOBERTO Rege & Filio eiusdem Sigeberto impetrasset, D. Arbogastum adiunxit; vt, cuius sanctitas ab ipsis Cęnobij incunabulis apud Surburgenses adoleuisset, eius patrocinium cultusque gloria ibidem perpetuaret. Religionem testantur cineres locello inaurato affabrè facto custoditi: quos dum in transitu venerabamur, vnciales literas in orbe adnotauimus, quæ thesauri reconditi, & autoris nomina hoc verborum schemate proloquuntur;

Surburgh

Heiligenforst.

INCLITE SERVORVM PATER ARBOGASTE TVORVM,

MVNERA GEROLDI RESPICE SERVE DEI.

Ceterum

Ceterum quod alternante ſorte & rerum humanarum caſibus, plurimis aliis Cænobiis accidit, cum antiqui mores diffluerent, religioſa diſciplina, ſuperantibus vitiis, nimiopere laxata, Cænobitis loco motis, Canonici ſubierunt. qui hodieque inter veteris Surburgi ruinas ſtationem obtinent. Iam in CLINGENSE Monaſterium, cuius item DAGOBERTVM noſtrum agnoſcunt parentem, eo diligentius viſum fuit inueſtigare, quo inter munifica DAGOBERTI opera, iam longius à ſui corporis compage diuulſum, hæreſique deformatum, parietibus tectoque ita ſqualliet, vt triſti facie ſua commiſerationem mereatur. Clingenſis pagus eſt habitatoribus vel maximè frequens, duobus milliaribus Weiſſenburgo diſſitus; agro frumenti vinique ferace, riuis, amnibus, fontibuſque licet non maximis piſcium tamen varietate & luxurioſa fætura fæcundus. nemus venatu ferarum ſaginaq; iuxta amœnum, prædia culta villæq; circumſecus obiacent, teſtes priſcę amplitudinis, quæ non niſi Clingenſem parœciam, ceu matricē agnoſcunt. celſiſſimo montis iugo, tædiſq; arborū frequentibus ob Occaſu circūdatur. montis apex arcē præfert, quā vulgò Landseck nominant, olim non Clingenſium tantum, ſed & accolarum præſens munimen, in qua hodie omnibus ad ruinam præcipitatis, nil habitabile videas, præter infame facinoroſorum ergaſtulum: at parte, qua Septemtrionem ſpectat, Baſilica eminet D. Nicolao ſacra, indici vindicique iuſtæ, at non illibatæ poſſeſſionis, quæ ad hanc diem Decano Maioris Eccleſiæ Spirenſis obuenit. Medio Clingenſium pago Monaſterium viſitur DAGOBERTI impenſa totum ab imo exſtructum, & firmiſſimo murorum quadri lapidis ambitu munitum. cui prædia vicina aliaſque poſſeſſiones adiectas fuiſſe, ad annonam reli-

Clingen-Münſter.

gioſis è D. Benedicti inſtituto alumnis ſuppeditandam, obſoleti indices loquuntur. huic inædificatum eſt Templum ſaxo plurimam partem campeſtri & quadrato, mole, forma, turrium faſtigio, cęteroque inteſtino opere non abſimile Weiſſenburgenſi; quod tamen hodie nulla priſci inſtituti veſtigia retinet. nam vis ius omne inuertit, & hæreſis mox ſuperueniens religionem loco abſtraxit. Benignior aliquantò fortuna reſpexit Regiopontanum, Sacri hodie Præmonſtratenſium Ordinis Parthenonem, ſancto nemori adſitum, qui DAGOBERTVM item parentem ac beneficum loci conditorem laudat. Cæterum fuerintne hæc religioſa domicilia poſteris, an vero anterioribus annis condita, cum parum literis priſcorum extet comperti, nihil in vtramque partem habeo, quod affirmem. Qua languente teſtium fide haud longius enarrationem protraham, hoc vno contentus, vt oſtenderem, DAGOBERTI pietatem cultumque religionis latius per Alſatiæ confinia diffuſam fuiſſe; tum ne plantaria hæc Cænobiorum, & ſtirpes olim omnigenę virtutis feraces, dum planè in obſcuro latent, perirent funditus atque exareſcerent.

Kõnigsbruck.

NOTA.

BVRGORVM, à quibus frequentia per Alſatiam oppida nominantur, duplex Etymon.

Frequens BVRGORVM etiam per Alſatiam vſitatio, vt *Strasburgi, Freiburgi, VVeiſſenburgi, Offenburgi, Hochburgi, Surburgi, Iſenburgi*, facit, vt tantiſper huc deflectens in nominis etymon diſquiram. quod à πύργος Græco deriuatum priſci moris ſcriptores gemino ſignificatu acceperunt. Alii ſiquidem pro *Caſtello* vſurpant cum Vegetio, qui *Caſtellum* ait *paruulum, quem Bur-*

Veget. l. 4. c. 10.
Oroſ. l. 7. c. 32.
L. 2. Cod. & l. 6. defu-

gum vocant. atque hinc in Codice Theodosiano *Burgarii*, in Iustinianæo *Burgi*, emerserunt. vnde *Burgraffiorum* dignitas & nomen originem trahit. Alii tamen à *pagis* vicisque deflectunt. Hinc Marius rerum Gallicarum Scriptor *Burgundionum* stirpem appellatam contendit; atque, sic vocatos à *Burgis*, tum excitatis, quando Wandalorum selecta colluuies partes Burgundionum trans Rhodanum tenuit: præterea, fuisse *Burgos casulas seu manu constructas*, cuius operæ cum ea Gallorum gens esset gnarissima, hinc barbaro & aduenticio vocabulo, *Burgundiones* quasi *Tuguriones* siue *Casarios* dictos, nomenque ex opere præsumpsisse. quod etiam tunc hæsit, posteaquam aucta fortuna, in amplas ciuitates succreuerunt; idque in Argentoratensi vrbe Franciscus Guillimannus probè aduertit. Neque Gallis modo vernaculum *Bourg* siue *Bourgarde* apud Cænalem, sed & apud Marianam *Burgi* Germanis pagi sunt; quin etiam Hispanis: nam, vt idem ex Alueldensi chronico narrat; Iacobus cognomento Porcellus (cuius sanguis regiæ domui insertus, perque multas deinceps Hispanorum procerum domos deductus, etiamnum in Hispania durat) Alphonsi Magni tempore, communibus cum eo sumptibus & auspiciis vicinis pagis, in quos incolæ dissipati viuebant, in vnum corpus formamque reip. collatis, *Burgos* nobilissimam Hispaniæ & ditissimam Vrbem fundauit. idque ei nomen à Burgorum siue pagorum coitionibus natum adstruit. Huic Cornelius Tacitus accedat, asserens, *Asciburgum* in Mœni ripa situm, à Germanis Vlyssi autori tributum, dictumque ἀσυ-πύργιον hodie *Aschaffenburgum*. Neue nescias, ex vsu veterum inter se differunt; *Ciuitas*, quæ agrum totius regionis cōplectitur; *Colonia*, quæ regionis Vrbs est primaria; *Oppidum* à frequenti plebis commercio emporioque, *Pagus* mœnibus caret, fontibus irriguus. *Castrum* munitionis notam habet, *Rus* cultura & agrorum vbertate præminet. quæ tamen vsu hodierno, in pluribus variasse manifestum est.

dis rei priu. l. 2. de præf. præt. Afrā. C. de offic. præf. Africæ.

Ioan. Mari' l. 3. rerum Gall.

Mich. Riti'

Caput XX.

DAGOBERTVS in Thuringiam penetrans, medio itinere, cœlitus periculoso morbo leuatur.

FRancorum in Saxoniam & Thuringiam expeditiones, clade gentis Regumque excidio memorabiles per vnum ferè Sanctissimorum Præsulum par, Gregorium Turonensem; & Venantium Fortnnatum Pictauiensem, quibus immensum Francorum gloria debet, commemorantur. Ex quo enim Theodericus Clodouæi Magni filius, Baderico Thuringorum Rege domito, & postea Clotarius Hermenefredo ad Onestrudem Eichsfeldiæ amnem, cum regii nominis internecione, & magna Saxonum strage, fugato, ac deinde diademate pariter vitaque exuto, victores euaserunt, Thuringiam in Francorum potestatem id temporis redactam, exindeque Francici iuris extitisse, facilè eruditis persuasero. Quin idem ille Gregorius Turonicus Francorum Orientalium sedes peruestigans, vestus castrum *Dispurgum* Clodioni nobilissimo Francorum Duci supra laudato assignat. etsi haud inficior, quin viribus subinde reparatis, resumptaque audacia, non solum crudis adhuc & acerbis Francorum rebus; sed florenti etiam imperio Dominis suis Saxones & Thuringi rebellarint, quod in bellis ab DAGOBERTO aduersus eosdem gestis aliquantò post amplius liquebit. Nec vereor, eam Thuringiæ regionem, quæ Eichsfeldiæ titulo à reliqua ditione seiuncta, hodieque maiorum seruata religione, Moguntino Archiepiscopo paret, Francorum id temporis imperio adnumerare.

Greg. Tur. lib. 3. hist. Franc. c. 4. & 7. & 8. Venãt. Fort l. 6. poëm. & in supplé de excidio Thur.

Vnstrudt. vid. Baron ad an. 527. Adi Notas Brovv. ad Fort.

lib. 2. c. 4. & l. 3. c. 4. al. *Daspurgum*.

Qua

Qua vero ex caussa, si belli necessitatem excipias, DAGOBERTVS noster in eam ditionem penetrarit, oratione explicare, atq; ita explicare, vt inter meras Scriptorũ tenebras verum inuenisse videamur, ardua cũ primis res. neq; voluntas deësset, si via se ostenderet laboranti: nunc coniecturis fere standum, & fidei per manus maiorum traditæ. Interim Heiligenstadium Eichsfeldiæ caput autorem suum prædicat DAGOBERTVM Magnum, eiusque loci celebrandi hanc memorant occasionem. Laborasse DAGOBERTVM seu lepra, seu quo alio affini morbo, atque inter nota id ætatis Francorum Regibus nemora secessusque in arce Altenburgica fixisse domicilium, Sacrario ad Deiparæ Matris, & D. Petri honorem adstituto. euenisse interea, vt postquam venationi institisset, fessus, eo tum forte loco viridantibus herbis peramœno decubuerit sopore oppressus; vbi hodie augustum Præfecti Prouincialis, qui pro Moguntino Præsule rem ibidem gerit, oratorium visitur D. Laurentio Hieromartyri sacrum. cum secundum quietem, inter orandum salubri instinctu oborto, ab Aureo & Iustina Maguntinis Martyribus admonitus, bono esse animo iubetur, certamque sospitatis cælitùs obtinendæ fiduciam concipere. mox à prodigii monitu primùm brachium, manumque, quæ inter dormiendum ab rore immaduerant, deinde reliquum corpus consanescere. cui narrationi gemellum quiddam ac pæne par hoc eodem sæculo, Iustiniano Imp. à Medicis deposito, per DD. Cosmam & Damianum Medicos ac Martyres contigisse narrat Procopius. Cumque loci religione tactus Rex, beneficij memoriam perire nollet, ab eo tempore *Loci Sancti* nomen indidisse. ductaque ab antiquo consuetudine, vicinos populos religionis ergô frequentes conuenisse. atque ibi tum ab vno Heiligenstadt.

Procop. Cæsar. or 1. de ædif. Iustinian.

prodigio, mox plura miracula profecta; quibus salutari medela frequentibus morbis allatâ, loci sanctitas, & viso illi sua fides constitit. DAGOBERTVM præterea refossis Diuorum Martyrum exuuiis, quas per Anachoretam loci incolam cælitus admonitum ibi attineri cognorat, pieque habitis, Collegium bissenûm Canonicorum, ampla dote instructum, insuper Basilicam Sancto Martino Turonensium Præsuli, & communi Francorum Patrono dicatam liberalibus impensis exædificasse. quam posteris annis vetustam & malè sartam Magnentius Maurus Rabanus præstanti doctrina, religione, & Ecclesię opera domi forisque præclarè nauata vir excellens, Moguntinensis Archiepiscopus, sumptuosè instauratam, atque frequenti Præsulum, Abbatum, ac procerum conuentu, grauissimis Ecclesię cęrimoniis, Kalendis Nouembribus dedicatam, largissimis deinde pænarum condonationibus honestauit. & Willigisus Saxo, gratissimæ apud Moguntinenses memoriæ Antistes, qui primus Electoralem purpuram in eam sedem inuexit, Clero hic sacra procuranti certum frumenti demensum attribuens, superioris cladis iniuriam, quæ amplæ noualium ac fundorum donationi per DAGOBERTVM primitùs factę, illata fuerat, aboleuit. At per hosticas perditorum hominum offensiones plurimum labentibus annis de huius Ecclesiæ finibus, locique religione detritum ingemuit Eichsfeldia; sed tum vel maximè, quando Thoma Munstero Lutherani verbi buccone classicum occinente, furiosa rusticorum illuuies sub annum MDXXV. Eichsfeldiæ infusa, templis omnibus, arisque vastitatem plena sacrilegi furoris circumtulit. Quam tamen cladem solers Archiepiscoporum vigilantia per Præfectos Prouinciales secundis Eichsfeldiorum animis reparauit,

hodie-

hodieque resarcit. Iam in penitiorem Thuringiam ad DAGOBERTI memoriam his etiam locis quoquo modo sustentandam penetremus. Erfurtum (quod Bicurgium veteribus fuisse nonnulli aiunt) vrbs est ad Geram amnem, amplitudine mœnium & vastitate paucis Germaniæ ciuitatibus concedens, Thuringiæ caput. Mediæ Vrbi mons imminet præcelsus, vbi arx quondam munitissima à conditore Merouæo III. Francorum Rege, nomen vulgò sortita; postea vero in eius locum magnificæ structuræ Templum, D. Petri Apostolorum Principis nomine inclytum, regia liberalitate conditum, apud indigenas aduenasque monti *S. Petri* appellationem peperit. Eo deinde S. Benedicti proles, quæ stante his locis Francorum imperio, per Germaniam Galliamqne multiplicata, ad nouarum coloniarum deductionem efflorescebat, optimis legibus & institutis aduocata, Monasteriū, vti hodieque eodem nomine iisdemque Cænobitis conspicuum visitur, Adeodato viro Sanctimoniæ laude id temporis præcellente Regem rogante, atque persuadente, incolere cœpit. De conditore tamen, vt in obsoleta memoria, non perinde consentiunt Scriptores. Nam vt DAGOBERTVM Magnum inquilini ipsi apud Tritemium, loci eius parentem laudent; alij cognominem alterum, qui & Clodouæus à quibusdam vocatus est, Childeberti Filium, anno salutari DCCXIX. vita functum nominant. Certe Tritemius multis pertendit, Guilhelmum Hirsaugiensem Abbatem eius Cænobij duodecimum, qui anno MXCI. mortalitatem exuit, Petræi Cænobii Erfordiensis Fundatorem nobis commendare. A quo vt dissentiam, faciuut ea rationum momenta, quæ ad calcem capitis adnotabo. neque profiteri vereor, eiusdem Cænobii non DAGOBERTVM nostrum, sed

Merwigsberg.

S. Petersberg.

alterum illum cognominem nostri abnepotem videri; si eius Diplomatis, quod apud Tritemium extat, veritas consistit. Ita enim Donationis Chartam Tritemio referente claudit; *Testes omnium harum caussarum sunt hi; Pipinus Maior Domus, & filius eius Carolus; Moguntinus Episcopus Rigebertus,* * *Gunthernus Paganus Comes,* * *Eckebi Comes, & omnis Ecclesia in Thuringia, & circa Rhenum in Moguntia.* denique subditur; *Acta sunt hæc Anno Dominicæ Incarnationis, Septingentesimo sexto, Indictione IX.* Certè PIPINVM cognomento CRASSVM *Pipini* Senioris ex filia Nepotem, CAROLI MARTELLI ex Alpaide pellice genitorem, *Pipini Breuis* Auū, Dertario Maiore Domꝰ volētibus Francis statione pulso, eandem dignitatem iniisse sub annū DCXXCVII. eamq; per XXVII. annos mirifica omnium commēdatione administratam *Carolo* Notho, Plectruda nouerca nequidquam obstante, anno DCCXIV. quo vita excessit, consignasse, Chronograhi potiores concordant. Adhæc tam RIGEBERTVM Maguntiacensem Præsulem, (*Rigbertum* Cochlæus nominat) quam PIPINVM & Filium eius Carolum Martellum in DGOBERTI SECVNDI ætatem; DAGOBERTVM vero hunc in septimum sæculum incurrisse nemo inficias ierit, qui vel modicè historiam delibauit. accedunt & *lilia*, Franciæ Regum insigne, quæ sub ipsum Cænobii Petræi vestibulum saxo incisa, se in conspectum dant, locique parentem ab Guilielmo Tritemiano longè alium produnt. denique eodem D. Petri monte, in peruetere Sacrario, sub D. *Blasij Martyris* aduocatione inclyto, inter Franciæ Reges inibi expictos sua quoq; DAGOBERTO REGI sedes est, hoc adscripto elogio infra talos; DAGOBERTVS REX FRANCORVM; moxque subditur; *Ego dedi*

Compend. I Annal. pag. 59. Fracof. edit.

* al. *Guntramus.*
* al. *Eckelbertus.* Ser. *Richbertum.*

hunc montem, & locum cum omnibus, quæ habui in Thuringia, S. Petro, & Monachis, quos ibidem substitui. Acta sunt hæc anno Domini DCCVI. Quæ omnia pro DAGOBERTO II. eius appellationis producta id temporis sufficiant. Sed neque istud dissimulandum, cum Dagobertini huius regni auspicia in annum pręter propter DCCX. indictione IX. inciderint, & quinquennium ipsum durarint; annorum calculos etiam in hoc Diplomate vitiatos videri. Cęterum de consimilibus proximus erit dicendi locus. Interim si Chronicis Erfurtensibus sua fides est, ad DAGOBERTVM I. Dagoberstadij proximè Erfurtum, hodie Dauerstadt/ fundamenta post Christi natalem, annum circiter DCXXXIIX. posita, & nomenclationem referunt. aiuntque, Erfurtensi vrbe necdum constituta, inibi ab DAGOBERTO antiquitus ciuitatem constructam, vt esset munimentum aduersus Thuringos, quos inde subigeret, si quando imperium excutere molirentur. quod sæpenumero postea factum, ex Francorum annalibus liquet. Cæterum fortuna in tot rerum vicissitudinibus nouercante, hæc ciuitas, vix suis hodie ruderibus insistens in pagum degenerauit, qui etiam nunc Moguntino Electori paret. Nec desunt, qui posteriorem DAGOBERTVM loci Cōditorem mauelint. Ego cum parum hic comperti reperiam, nullas vel vitilitigandi, vel diutius morandi caussas habeo.

N O T A.

De varia supputatione annorum apud Chronographos. & Diploma Dagobertinum Erfurtensis Cœnobij defensum.

Sicut olim apud Romanos ex Coss. iisque abrogatis ex Impp. ita Dagobertino æuo & quæ illud antecesserunt temporum

chronologia ex Francorum Regum annis & epochis haberi debet, qui anni vt pleni ſemper ac ſolidi non fuerunt, ita multifariam ab variis adnumerati magnam numeris ſæpe variatis, ſæpe vitiatis pepererunt confuſionem. Sed nec idem regnorum auſpicium apud Chronographos extitit. nam aliis Regni annus idem fuit, qui vitæ; vt in Clotario DAGOBERTI parente vidimus; alii tum Reges dici cœperunt, ſimul vel in adminiſtrationis regiæ partem venerunt, vel totius regni poſſeſſionem adiere. Obuia hæc cuilibet. & in ſuperioris æui panchartarum monumenta, formulas actionum, tum in priſca vel regiorum diplomatum reſponſa, vel conuentuum Eccleſiaſticorum acta vel oculos coniicienti exempla paſſim occurrent. Porro æra Dionyſiana (ſic dicta, quod ab Dionyſio cognomento Exiguo inuecta ſit, vti qui primus Iuſtiniani Auguſti ætate ſub annum Chriſti 525. autor fuit numerandi annos ab Incarnatione Domini) non continuò, ſed variis temporum interuallis in rep. Chriſtiana recepta fuit. quin oculatus affirmare poſſum, in primigeniis Regum Franciæ diplomatis non niſi poſt Caroli Magni tempora, annorum ſupputationem à Chriſti natali ductam fuiſſe. & autorem habeo, in Hiſpania primum omnium Ioannem I. Caſtellæ Regem, conuentu Principum indicto Segobiæ Anno 1383. regia autoritate, morem hunc, annos ad Chriſti ortum reuocandi, publice indixiſſe, ratione computandi per Æram Cæſaris antiquata, idque exemplo Valentinorum & Luſitanorum, qui recens præiuerant. Neque illud diſſimulandum, non omnes Chronologos poſteriores Chriſtiani anni ſupputationem ab eodem temporis puncto auſpicatos fuiſſe. nam à Natali Domini Lambertus Aſchaffnaburgenſis cum pleriſque rerum Germanicarum ſcriptoribus; at Franci autores plerique cum Haræo à Kal. Ianuariis; Iacobus Mayerus & Flandrici à Paſchate ordiuntur. neque caret obſeruatione, inter eos etiam, qui omiſſis Coſſ. ab V. C. ſupputationem ineunt, hactenus non concordare. Nam alii cum Mercatore numerant ab V. C. ad Chriſtum annos DCCL. alii cum Baronio DCCLI. Varronianum calculum ſecuti. denique alii cum Perer. l. 11. in Dan. q. 5. Chriſti natalem in annum ab V. C. DCCLII. reiiciunt. quin Mariana notauit, addi non-

nunquam

nunquam aut demi annos octo & triginta a salutari Christi ortu inter se discrepantes. Vt exinde colligas, annos Christi, qui Dagobertinis diplomatis appositi sunt, præter æui istius morem fuisse, & à posteris plerumque amanuensibus additos, qui eos vel descriptis, vel primigeniis tunc primum addiderunt, cum hic supputandi modus passim obtinuisset. Atque hinc robur & firmamentum Tritemii concidit, quo ex variata & discordi annorum Christi supputatione, Erfurtensis Donationis autoritatem infringere conatus est. idem sensus esto de Haselacensi Diplomate, & siquæ sunt generis eiusdem, nec alia, quę Tritemius congerit, nos moueant; vt de indictione Romana, quæ Christianis annis posterior est, de sigillo disperdito, quod tanto annorum interuallo, totque casibus intermeantibus facile factum quis non videt? quin & apud Aimoinum Notis Breulianis compertum est, ante Ludouicum Crassum, (cuius regnandi auspicia in annum MCX. incidêre) syngraphis & Diplomatis sigilla non per corrigiam & fila, vti hodie appensa fuisse; sed affixa literis, quas vtrimque magna vi ceræ indita complectebantur, quod & ipsi in antiquissimis Franciæ Regum autenticis syngraphis coram inspeximus. denique Guielmum Abbatem construxisse Monasterium sic accipi potest, vt qui per dissolutos Cænobitarum mores prolapsum, reuocata istuc loci disciplina subleuârit. Quo pacto per DAGOBERTVM Nostrum, Argentoratensem Episcopatum non tam à fundamentis institutum cæptumque, quam ex interuallo temporum restitutum ac redintegratum videri, aliàs fortasse in loco differemus.

vid. Aimon l. 2. de gestis Franc. c. 20. ad edict. Childeb.

Caput XXI.

DAGOBERTVS frequens in Alsatia domicilium habet. eamq; ædificijs exornat.

QVo tempore ad pietatis & pacis artes conuersus DAGOBERTVS reip. exornãdę studio tota ditione Diuis templa; eodem ad humanum

præsidium

præsidium arces, oppida, vrbes ædificabat. Quod si Adriano Cæsari apud Romanos laudi fuit, sistendis ruinis, & veteribus ædificiis ab interitu vindicandis, nouisque moliendis, fabrûm, lapicidarum, & omnis generis operarum cohortes centuriatas etiam sub signis ad legionum militarium specimen circumduxisse, vt illum nummis cusis percussisque restauratorem & locupletatorem orbis terrarum euulgârint; licet indelebilem sibi dedecoris famam conflauerit, quod terræ Sanctæ solũ Christi vestigiis consecratum simulacris ac dæmonum cultu profanare, abolendæ fidei Christianæ adgressus sit; quãto maior & integrior apud seros Alsatas DAGOBERTI Regis laus perennabit, quod Alsatiam iustis regiæ beneficentiæ ornamentis afficere statuens, non minus profanis, quam sacris ædificiis eam immensum extulerit? Atque vt superæ Alsatiæ oram legamus, venit in aspectum Superioris Mundati Metropolis, Rubeaquẽse oppidum vetus & Regium, quod amnis (à quo sine dubio repetendum videtur etymon) quondam ab prato Ohmbach/nunc à colore Rotbach dictus, per amœnissimam conuallem, cui ab salsugine & acido fonte appellatio hæsit, leni flexu & paucis mæandris volutus, vbi agros & vineas permeauit, hodie illabitur, ea celebritate, vt de suo colore nomen Ruffaci quasi Rubeaquarum oppido impertiat. Et licet antiquitatis cuiusque generis spoliis se adhuc visendum exhibeat Rubeaquum; ausim tamen non incuriosus explorator affirmare, publicorum operum, (si castrum exceperis) ab Romano & Francico æuo tantam illic esse vastitatem, vt Rubeacensi amplitudine in angustias reuocata, imò & loco veterique sede dimota, quibus in spaciis ędificia olim sublimia stetere, inibi vel iam sulcos describat arator, vel vites pangat agricola. arguunt interim veterem magni-

Sultzmat.

tudinem

tudinem tituli platearum,qui etiamnum vinearum areolis hærent,ſegmenta,& molium ruderumque varietas, quæ ſparſim ob oculos incurrit. Porro harum ruinarum cauſſas non neſciet, quiſquis multiplices huius patriæ in ſumma, media, & recenti ætate clades acceptas animo ſubiiciet. Vrbis parœcia D. Arbogaſti patrocinio ac tutela eminet,olim magnis condonationum prærogatiuis,& Sacrorum pignorum diuite cultu locupletata;quorum hodie præter indiculum membraneo pergameno contextum, & lipſanothecam ex ære faberrimè laboratam,vix quidquam magnopere viſendum ſupereſt. Ad Vrbis pomœrium in colle arduo arx obiacet Iſenburgica, gratiſſimum olim DAGOBERTO & Francorum Regibus domicilium, quæque celebritatem olim magnam habuit. ab ferrata fortitudine dictam,perſuaſio hominum per manus ducta confirmat. hodieque beneficio Sereniſſimi Archiducis Leopoldi inuicti animi Principis, cum vix elegantiæ veteris veſtigia tueretur, à fundamentis iterum conſtructa,præſidio patriæ & ornamento futura, pulcerrimam habet ſpeciem quæ lætiſſimo ad adſpectum totius regionis obtutu,quadrata ſtructura, aulis, conclauibus, penu, odeis, xyſtis auguſtalibus exornata , longiſſimo ſeſe excurſu ſpectandam offert: vt DAGOBERTI tempora aurea,Leopoldo Epiſcopatus Argentinenſis gubernacula moderante,non deſideres. Illi ad Orientem Briſacum caſtrum, amœniſſimo Briſgoiæ agrorum & Rheni proſpectu exponitur; ad Occaſum montes colleſque nobili vite conſiti,& pratis agriſq; viridantibus cum iucundiſſimi ſitus conualle Sultzmattenſi. horum pars non minima interlocata frequentibus habitatur oppidis, pagiſque:at intra nemora ſiluaſq; inſignis olim D.Marci Præpoſitura cũ propinquo Marbacenſi Cænobio ſub

D. Augustini Regularium Canonicorum instituto cernitur. parte, quâ Septemtrioni obtenditur, post fæcundissimorum agrorum longinqua interualla, Colmariā Alsaticarum Vrbium, quæ Imperii prærogatiuis fruuntur, non postremam, vna cum veteris Argentuariæ ruinis prospicit. ad quā eandem cæli plagam hortus castro adsitus obiecto monte ad munitionis non paruam tutelam, mirificam florum, herbarum, & fruticum vrbanitatem, cultori exhibet. denique ad meridiem Ciuitas illam decorat Rubeaquensis; seseq; vno abhinc lapide in conspectum dabit Geweilerium, primarium Murbacensis Principatus oppidum, prouentu vitium, & agrorum inprimis fertile, cum longissimi tractus excursu ad vsque Sundgoiam. Intra Arcis septa turris eminet quadra, sectili quadratoque lapide, haud obscura priscæ magnificentiæ vestigia retinens, quæ robore suo tot hostium & temporum clades elusit. Iam introrsum ad muros Rubeaquenses, collisque radices, qua in arcem patet ascensus, illustris quondam fuit Prioratus, cuius Cænobium è disciplina & cultu S. familiæ D. Benedicti, quæ è Mediomatricum suburbanis huc sub Annum Verbi incarnati MCLXXXIII. commeârat, ex arce in eum, quo nunc visitur, locum deductum fuit; posteaquam Philippo Sueuorum Duce Ottonem Saxonem, à quo acerbissimis odiis dissidebat, Alsatiam populante, Conradus Hennebergicus Argentinensium Præsul, illud in colle situm solo æquauit; nequid inde patria detrimenti caperet, si ab hoste interceptum fuisset. Illo igitur huc per Henricum Veringensem Conradi successorem trāsportato, nomen ab D. Valentino gloriosissimo Interamnensium Antistite Christique Martyre, (cuius sacrum caput hodieque magna religione ibidem colitur) inditum fuit. quod labente religionis cultu, cum iam in

abolitis

abolitis haberi cœpiſſet, pronuper liberali beneficentia ſupra laudatus Archidux Leopoldus Societati contradidit; olim & nunc conuenarum aduenarumque votiuis ſupplicationibus atque anathematis celebre. Sed hęc ad D. Valentini vitam Deo ſecundante proferemus. interea è Superioris Alſatiæ confinibus, ad alia DAGOBERTI monumenta conuertimur. Et vetus hominum perſuaſio confirmat, eum Dagſteinianam Arcem ab imo totam conſtruxiſſe ſibi cognominem. eſtq; cuiuis obuium, nouas vrbes condendi, aut veteres ſuis nominibus indigitandi gloriam, non Reges modo & Duces, ſed inferioris quoque fortunæ homines quæſiſſe. quod in Gemar oppido Seleſtadianis vicino, à Gamaringis è Carolino diplomate, in Colmaria à Colmaringis deriuato, Rhenanus probare niſus eſt. Eſt vero Dagſteinium ipſa natura & loco præmunitum, ad aſpectum præclarum, tum aptum ad elegantiam & Alſatici tractus tutelam. Hanc ego Arcem totum murorum ambitum interpretor fuiſſe, cum res Francorum his oris florerent, quæ nunc in oppidi ſeriem maximam partem priuatis ædibus interpolata cernitur. hæc iam recens turrito propugnaculo, quâ ingreſſus patet ad Orientem firmata Sereniſſimi Leopoldi Archiducis ſollicita opera, perpetuo aggere & foſſa circumuallatur, & vallum exterius magno flexu muros complectens ferme ex omnibus partibus ambit: prope compaſcuus ager præcipua fertilitate nobilis & frumenti ferax, qui frequente luco, procera quercu, & fago, qua Altorfium D. Cyriaco Martyri Sacrum Benedictinorum Cœnobium ſpectat, diſterminatur. ſuburbium amplum ad ſolis ortum ab arce reliqua foſſa diremptum: in quo fuit quondam D. Auguſtini alumnis per Ioannem Liechtenbergicum Argentoratenſium Præſulem conditum domicilium,

ſuis nunc parietinis obrutum. Introrſum arx quadrato lapide in nobiliſſima oppidi regione ſurgit, cui nulla ex antiquis tota Alſatia comparari poſſit, altitudine, latitudine, & totius operis firmitate, addo & Bruſchæ fluminis Molshemio leni impetu decurrentis opportunitate. Porro Dagſteinium ſæpe inteſtinis, ſæpe exteris bellorum motibus attritum, Henricus è Veringenſibus Comitibus, poſtea vero Albertus Boiorum Dux, æternæ memoriæ Præſules, non tamen ad priſcam amplitudinem, neque ad hodiernum decorem extulerunt: quæ Leopoldi Archiducis laus eſt. Pari DAGOBERTI magnificentia Maurolegium Kircheimio Regia ſede nobilitatum fuit; quod iam proximè deſcripſimus, cum in D. Florentium incidiſſemus. Et ſunt, qui Dagsburgum etymon ab eodem noſtro DAGOBERTO trahere ſuadeant: ſed nolim huc plura tranſcribere, quam credam. nam vt ſubtrahere, quæ ab aliis traduntur, vix audeo; ita nec operæ precium duxi affirmare, de quibus dubito.

NOTA.

Rubeaquenſis Oppidi etymon.

RVffaci oppidi (cuius primordia in annum Chriſti CLXVI. per Romanos poſita refert Eiſengreinius) mentio inducit me in memoriam gemelli & cognominis Caſtri Ruffey, quod decimo à Veſontione Vrbe Imperiali, quæ hodie Sereniſſimis Archiducibus Auſtriæ paret, lapide diſtat, & à fluuio rubicante vnde & nomen traxit, ſalutatur; quodque ex S. Antidii Biſontinenſis Archiepiſcopi admirabili ſanctimonia viri ergaſtulo arci propinquo, in quod Wandalis aduerſus Catholicum nomen deſæuientibus coniectus fuerat, S. Antidii turris apud indigenas appellatur. De illo V. C. Iacobum Chiffeletium in Veſontione ſua per me conſulas licet. de noſtro Alſatico adi Eiſengrein. Chron. Spirenſ. lib. 2.

I. Chiffel. p. 2. c. 7. in Veſont.

Caput

Caput XXII.

DAGOBERTI Regis *in Germaniam, sed potissimum in Cathedrales Ecclesias ad Rhenum, munificentia.*

DAGOBERTVS, tanquam non vnius populi Moderator, sed velut communis quidã Germaniarum Galliarumque parens, haud contentus, Alsatis suis liberalitatem & munificentiam regiam exhibuisse, in alias quoque Regni sui ditiones eam impendere curæ habuit: vt nec immeritò omnium ad Rhenum Episcopatuum benefactor & restaurator munificentissimus habeatur: Erat quidem ijs temporibus Belgicæ ac Germaniæ facies tristissima, quando per barbarorum ad omnem Rheni tractum grauissimas offensiones, tum Vandalorum, Alanorum, Hunnorum, Gothorumque variam colluuiem, pronis in solitudinem Ecclesijs, earumque Pastoribus procul abactis, aut ad internecionem datis, sanctitates omnes totis prouincijs violatæ, Diuorum Deoque dicatorum hominum domicilia vel bellicis furoribus incensa, vel Arrianæ superstitionis sordibus contaminata, Sacrorum instrumenta direpta, barbaræ crudelitatis atque perfidiæ expressa locis omnibus vestigia extabãt. Quæ calmitates cum in multos deinceps annos magnitudine sua excrescerent, non nisi per potentem quampiam manum ex tanto præsertim interuallo propulsari poterant. Quare præcipua DAGOBERTI cura fuit, inuigilare primarijs ad Rhenum ciuitatibus, Ecclesiisque reparatis dare Præsules, qui doctrina, erudi-

Pantal. in viris Illust. p. 1.
Casp Brusc in episc. Germ.
Serar. rerũ Moguntiac L. 1. c. 9.
Chrõ. Arg. MS.
Rhen. l. 2. rerum Ger.
Munst. l. 3. German.
Francis. Rosier de stem Lotharing.
Demochares de Missa
VVimpfel.
Guilliman.
VValafr. Strabo.
Stumpff.
Guilh. Heda in Episc. Traiect.
Guilh. Eisẽgrein in Chron. Nemet Spir.

ditione, & , quod caput est, morum integritate, zeloque diuino æstuantes subditos sibi populos nouis institutis ac legibus excolerent, quique siluescentes Christianorum mores malorũ contagionibus repurgarent. Atque vt à prima Germania ordiamur, DAGOBERTI beneficentiam S. Gallus D. Columbani sanctissimi Archimandritæ alumnus persensit; quãdo Sant-Gallensis Cœnobio ad hanc diem intra Heluetiorum iuga celeberrimo liberalibus impensis suppetias venit; quod deinde post annos octoginta per viros Principes, Cænobitici Ordinis vitæ morumq; integritate captos, luculentis possessionibus assignatis in hodiernam amplitudinem mirificè ampliatum effulget. Eandem beneficentiam recolit Constantia, olim Ganodurum, ac deinceps à Constantio Aug. nomen deriuans, Germanicarum Diœceseon amplissima, ad quam Clotarius DAGOBERTI Parens è Vindonissa Præsulatus dignitatem transtulit. at DAGOBERTVS sub Martino X. in Episcoporum Constantiensium serie, languescentem atque opibus exinanitam, certis limitibus circumscripsit, prædiisque regia liberalitate adiectis erectam, præclaris, vt Friderici Barbarossæ Diploma loquitur, prærogatiuis cumulauit. Neque minorem DAGOBERTO laudem gratiamque Augusta Vindelicorum ad Lyci & Vindonis confluentes celeberrimum non Rhetiæ tantum, sed & Germaniæ emporium debet: cuius Episcopen DAGOBERTVS Rex, Berwelpho Præsule satagente, cum ea Vrbs Attilana an Vandalica? clade, direpta, euersaque mænibus fuisset, in Catholici nominis cultores nullo neque ætatis neque sexus discrimine sæuitum, luculentis prædiis ac priuilegiis exornauit. Atque vt nos propius ad Rhenum moueamus, Episcopatum Spirensem, Arriana lue & barbarico

VValafrid. Strabo. Volateran. Pantaleon de viris Ill.

Brusch. in Episc. Constant. Henr. Pantal. de viris Illust.

al. Bernolfu

rico impetu, armisque miserè attritũ miseratus instaurauit, Athanarico (quem & Athanasium vetustiores nominant) aulæ suæ Ecclesiaste, vitæ Sanctimonia eximio ad Dioecesis gubernacula admoto, cum post Iessium, quem vitę sanctitas Cęlitum albo inseruit, quique cum aliis Synodi Agrippinensis quatuordecim Episcopis Ephratam Arriana hæresi inquinatum anathematis damnauit, nemo alius extra Athanasium Nemetibus præfuisse legatur; tota passim Germania erroribus Arrianorum labefacta. Sub idem tempus suburbana Nemetum nouis item ædificiis ampliauit; Templo Cænobioque, quod tum extra murorum ambitum erat, sub D. Germani Antisiodorensis Præsulis tutela constituto; magna amplitudine ac præcipua totius operis maiestate, & profano Mercurij delubro, quod inibi nobilissimo Germaniæ emporio adstitutum steterat, abolito. Pari solicitudine ad res Vangionum penitus iacentes, & iisdem, quibus aliæ Dioeceses erant, erroribus affectas partes, quâ posset ope subleuandas DAGOBERTI industria euigilauit. Siquidem Amando Vãgionum Antistiti, cuius summam vitæ integritatem, & morum innocentiam cum generis nobilitate perspectam habebat, Regiam Sedem extra Wormatienses muros eo loco, vbi hodie Neohusium est, vacillante Cænobitarum disciplina in Canonicorum Collegium posteris annis versum, attribuit; Basilica ibidem magnifico sumptu educta, tum quidem D. Dionysio Areopagitæ, at exinde D. Cyriaco Martyri Sacra; posteaquam eiusdem sacratæ exuuiæ in locum illum commigrarunt. denique Laudenburgensem Comitatum, cum latifundiis, prædiis, cæteraque possessione D. Petro Ecclesiæ Cathedralis Wormatiensis tutelari, Arnulpho id temporis Mediomatricum, & Cuniberto Agrippinatium

Sacra-

Sacratiſſimis Præſulibus aſſentientibus, conſignauit. quam dotationem poſteris annis Carolus Magnus, dato in manum Ehrenbrechti Antiſtitis diplomate, ratam habuit. quod vnà cum Dagobertino, etiamnum in Archiuiis Vangionum Eccleſiæ aſſeruari, aiunt. Idem regiæ liberalitatis ſpecimen à DAGOBERTO tulit Moguntia, quæ Wormatia IX. paſſuum millibus abeſt, & in omni ætate ſeu inſtitutis militaribus, ſeu doctrinarum ſtudiis, ſeu religionis & Cleri frequentia præcipuũ decus tulit. Enimuero inter cæteras clades primæ ſecundæue Germaniæ Vrbibus illatas, hoc illi poſteriores noxiæ magis fuerunt, quo ſæpius repetitæ; è quibus amplior DAGOBERTO laudem ſeges emerſit, vti cuius ope non ſolum ad noua templorum decora; ſed vrbem etiam Phœnicis inſtar prorſus aliam, ſtatione priſtina relicta, admotaque CC. fere paſſuum millibus propius ad Rhenũ efflorеſcere cœpit. vt iam ripas munire, & amnium duorum Rheni Mœnique violentiam coërcere molitione aggerum neceſſe ſit, vt qui ninibus & imbribus inflati, coniunctique validiore impetu ripis Maguntiaco proximis inferri ſolent. Gemella quoque huic pietati extitit eiuſdem Regis in Galliam Belgicam beneficentia. nam Treuiris, vetuſtiſſima & olim florentiſſima Belgicæ Metropoli, cum Irmina filia Sancti Wilibrordi inſtitutis & viuendi præceptis imbuta, inflammatis pudicitiæ ſtudiis, vt antea narrauimus, Chriſti ſponſi demereri ſibi voluntatem, eidemque vni placere ſtatuiſſet, dedit id Parẽs filiæ votis, vt in Horreo ſuo Parthenonem D. Benedicti regula temperatum, ampliſſima poſſeſſionum dote aſſignata condiderit. Et ampliſſimi quondam nominis Monaſterium proximè Treuiros primo quidem D. Ioannis Euangeliſtæ, inde vero D. Maximini titulo patrociniοque ſignatum no-

uis

uis quibusdam fundorum prædiorumque largitionibus, sed & prærogatiuis stabilitum, ad excelsum quoddam splendoris fastigium prouexit. Extat inter veteres eiusdem Cœnobij tabulas diploma Regium, Mæmiliano Abbati, qui DAGOBERTI ætatem vixit, datum; in quo DAGOBERTVS Rex præfatum Mæmilianum in sui Monasterii vestiganda origine, vti ab se iussus fuerat, versatum, antiquis schedis ita traditum reperisse; Monasterium id Regale quondam templum, seu mauis Regiam Constantini Magni extitisse; volente vero & iubente eodem Imperatore, ab Agricio Vrbis Antistite D. Ioannis Euangelistæ honori dicatum. præterea pro comperto haberi, Helenæ Augustæ Matris munificentia atque autoritate per id tempus adgregatos, in eundem locum ex Orientali disciplina Christi pauperes, hisque Ioannem Antiochenum, qui cum Agricio Treuiros accesserat Moderatorem impositum; sanxisse vero Constantinum, vt ne locus is in alterius cuiuspiam potestate atque tutela, præterquam Imperatorum esset. Quibus ita præuiis, Rex in eam sententiā pergit, istis omninò verbis; *Regio more constituo, atque firmissima iussione præcipio, vt nullus vnquam proternè illud Monasterium, in quo Abbas prædictus praesse videtur, audeat inire, vel vllam illis inhumanitatem violenter inferre. Igitur vt assidua recordatio mei meorumque præsentium maneret in prædicto Monasterio, ipsorum S. Maximini Præbendariorum victualia sub præmemorato Imperatore constituta meis ex parte prædiis augere curaui, quorum nomina hæc sunt; Kannis, Crassiacum, Luncuuich, Regiodola, Vallis Polich, Budeliacum, Taleuanc, Loania. Hæc loca ad Regiam curtem, quæ dicitur decima, pertinent: quam curtem cum omnibus rebus ad eam pertinentibus, hoc est, quidquid prædij visus sum habere à fluuio, qui appel-*

latur Rubera vsque ad siluam, qua dicitur Ider, S. Maximino Præsuli in perpetuam hæreditatem contradidi. Insuper etiam cum consilio & rogatu meorum Principum, cæteruis ibi Deo deseruituris hanc legem firmiter & perpetualiter in posterum habendam decreui, scilicet, vt centenorum ibidem Monachorum semper integra maneat & inconuulsa Congregatio; excepto, si Imperatorum Principumue per sæcula succedentium beneuolentia prædiis augmententur vel thesauris. & si propter paganorum vel infidelium Christianorum deuastationem iisdem Christi seruitoribus penuria vltra modum ingruerit, & per thesauri effusionem expelli nequiuerit: Dei omnipotentis, & mei meorumque Successorum habeant licentiam, allodium cum familia à fidelibus illi contradicentibus dandi & vendendi, antequam Dei destruantur seruitia. Et vt istius Chartulæ confirmatio in æuum firma permaneat, describi eam præcepi, & nostro sigillo inde eam firmaui. Actum pridie Non. Aprilis, Anno Regni nostri duodecimo, Moguntiæ feliciter Amen.

Signum DAGOBERTI Règis.

EIusdem generis complura DAGOBERTI autoritate firmata reperies, quæ promptum eius ac liberale aduersus pietatis cultores studium testantur, quæque D. Franciscus Rosiers in Lotharingicorum stemmatum volumen congesta verbatim recenset. vnde intelligas, quod alias de Cellis adnotauimus, Cellarum prope Treuiros, vt D. Ioannis (nunc S. Maximini) D. Eucharij (hodie S. Matthiæ) D. Mauritij Toleiani, antequam piorum beneficentia ad hodiernam inclytorum Cænobiorum amplitudinem efflorescerēt, eum vsum fuisse, vt Regum arbitrio Episcopis eius loci annona indidem præberetur. Nec inferiorem apud penitiores Belgas beneficentiæ famā DAGOBERTVS

obtinet

obtinet. tum Elnonensi Cœnobio per D. Amandum condendo, & largis possessionum donationibus stabiliendo; tum præclara Basilica Traiectensi Vrbi (quam Antoninam veteres dixerunt) inædificata, sub DD. Thomæ Apostoli & Martini Turonum Apostolici viri aduocatione. quam barbarorum ac Frisiorum superuentu solo æquatam S. Wilibrordum intenta cura reparasse, eidem ad citerioris ripæ marginem præsidium Wiltenburgum, validius multò, fossa & vallo, (relictâ, pristinâ nomenclaturâ ab Vuiltis Romanorum hostibus deriuatâ) adstruxisse ferunt. At hodie adlatrantibus Scyllęis illis immissis per Caluinum procellis, suis ruinis obruta iacet, estq; in abolitis habenda. Videlicet vbi victrix insultat improbitas, ibi non solum maiorum iussa scitaque, sed Dei etiam & Diuorum immortalium domicilia sacrilego ausu violantur.

VVilhelmi Heda in Episc. Traiect.
S. Marcellin in vita S. Suitberti.
Hortens. l. 1. rerũ Vltrai.

N O T A.

Attilanam & alias irruptiones ante DAGOBERTI *æuum Rheno plurimum nocuisse.*

POst barbaros Romano limiti semper ferè, sed maximè Imperio inclinante, infestissimos, Attilanæ & Wandalicæ irruptiones in grauissimis habentur. Et licet aliam ab Aureliana & Metensi euersam ab Attila ciuitatem vix prisci meminerint; disertè tamen Gregorius Turonicus multas eũ ciuitates Galliarum oppressisse testatur. Quin, si Idacio credimus, ne primæ secundæue Germaniæ Attila pepercit. vnde scias, merito iustaq; ratione Sidonium Apollinarem illum *Rheni hostem* appellasse, nec silet Paulus Diaconus, illum *fulminis instar obstantia quæque perrupisse*, & solo æquasse: quod Procopius Gothicarum rerum autor ad munimenta quoque retulit, quæ passim à Romanis Impp. olim limiti custodiendo exstructa, magno consensu historici memorant. adduntque posteriores, quingentorum millium exercitu conflato, posteaquam Illyricos oppressit, omni Germania

Greg. Tur. de reb. Frãc.
Procop.
Idacius. de reb. Goth.
Prosp. in Chron.
Paul. Diac. in hist. Lon.
Hieron. ep. 11 ad Ageruc.
V. Serar. in rebus Moguut.

peruagata, tandē circa Baſileam Rauracorū Sigiſmundum terræ Principem ſtrauiſſe; dehinc Argentinā obſediſſe, occupaſſeque; quin eâ funditus ſubuersâ, vetuiſſe, ne ſe viuo muri eius repararentur: atq; hinc omnibus peruiā factam florentiſſimā olim Rheni ciuitatē vernaculo etymo *Strasburgi* nomenclaturā accepiſſe. Porro ne neſcias, ipſus Attila natus ad Imperii ruinā, ſe iræ cæleſtis piaculū prædicabat, eumq, titulū barbaræ immanitatis indicem in Reſcriptorū fronte præferebat; *Attila Filius Benedekuz Nepos Magni Nemroth, nutritus in Engaddi Dei gratia Rex Hunnorū, Medorū, Gotharum, Danorum, metus Orbis & flagellum Dei*. Eius prælux quædam fuit Wandalica, quæ in idem ſæculum inciderat Croco Wandalorum Duce. Verū hunc alias nonnihil diſcuſſimus.

Caput XXIII.

DAGOBERTI Aulam Viri ſanctimoniâ illuſtres mirificè exornarunt.

DAGOBERTVS pientiſſimorum Principum inſtituto, aris admotos, Chriſtique Sacros Miniſtros ſumma veneratione pſequebatur; præſertim ſiquos religionis opinione & ſanctitatis laude claros accepiſſet, ratus, eos ſe maximè fidos habiturum, qui Deo eſſent coniunctiſſimi. nec ſua eum fefellit opinio. Enimuero hi non minus famæ ſalutique Regis laboranti antidoton, quam ſolidæ laudis immortalem fructum impertiebant. At hunc ego locum, memor propoſitæ breuitatis, ſtrictim curſimque ingrediar; tantum fulgentiſſima illa Regiæ Dagobertinæ ſidera indicaſſe contentus. Quorum in ſerie principatum obtinent ſupra laudati Maiores Domus, Pipinus, Arnulphus, Cunibertus, qui non minus ſanctimoniæ apud Deum,

Vitæ horū SS. apud Lipom. Sur. Baron. in Martyr. Notis. Vincent. Beluace. Antonin. 2. p. Sigeb. Chrō. Annal. Col. MS. An. Mayer l. 1 annal. Flandr. Stumff. l. 11. Henr. Pant.

quam

quam obſequii & fidei aduerſus Regem ſuum commendatione floruerunt. tum ſanctiſſimus ille Argentinenſium Patronorum triumuiratus, qui optimis conſiliis, factiſque admirandis ſobolem Regiam, populum fidelem, incolumes opes, ſoſpitem denique & florentem familiã prouinciamque procurarunt. Præter eos igitur, quorum iam antea perbreuem benefactorum ſynopſin cõcinnatiimus, principem in Aula DAGOBERTI locum occupauit Eligius ex Lemouicibus oriundus, ob generis claritudinem, ſed præcipue ſanctimoniam magnain regno autoritate. qui cum ſub initia operibus ex auro argentoque faberrimè laboratis induſtriam Regi probaſſet, ac Diuorum lipſanothecas, inprimis vero Dionyſii Areopagitæ, & D. Martini Turonenſium Præſulis ad omnium admirationem egregiè ornaſſet, DAGOBERTO impenſas appendente, eum gratiæ locum eſt aſſecutus, vt nunquam ab Regis latere diſcederet. atque, vt erat ad benignitatem propenſus, opes ſua virtute partas, & comparatos palatinis fabrilibuſque officiis theſauros, non ad priuatum compendium retulit; ſed ad ſubleuandam egenorum tenuitatem. itaque hoſpites, vinctos, ægros alloqui, ſolari, erigere, eoſdemque aliena ſuaque miſericordia, quâ poſſet, ſuſtinere, ſumma illi votorum erat. quo in genere illud inprimis extitit memoratu dignũ, quod Argẽtorati eueniſſe, grauiſſimi vitæ Scriptores meminerunt. Cum enim pro more haberet Eligius, veniam ſontibus, iis potiſſimum impetrare, quos vel error, vel improborum ſocietas in vincula compegiſſet, fuiſſe hominem, qui malè acta ferali laqueo expiaſſet. cum igitur iam reſte omnium ſententiâ præfocatum, Eligius, qui tum in DAGOBERTI Auſtraſiam peragrantis comitatu erat, ex longinquo conſpicatus, ſolemni ſuo

p. 1. de viris Ill. Germ. Amandi, Arbogaſti, Florentii vita S. Eligii MS.

benignitatem Regis ſolicitauit, liceret ſibi cadauer facinoroſi furca depoſitum tumulo recondere. Quo exorato, ſociis iam humum ad ſcrobem ſepulcri eruderantibus, ille in preces effunditur; moxque conſurgens inter palpandum ſenſit corpus exanimum velut ex alto ſuſpiria trahere: idque cæleſte prodigium præclaro generoſæ humilitatis ſigno ab ſe auertere ſatagens, ad comites cōuerſus; *Deum, ait, immortalem, in quanti facinoris periculum incidimus? ni Deus anteuertiſſet, hominem viuum terra mandaſſemus.* Denique vt erat in plena diuinæ ſapientiæ domo educatus, Nouiomenſi Antiſtite vita functo, eius ſedis mitram pedumque DAGOBERTVS totis licet viribus renitenti detulit. quo in faſtigio dignitatis Flandros, omnemque gentem maritimam ab Geſſoriaco ad vſque Oſtburgum Chriſtianæ religionis præceptis erudiuit. multa per illum Deus prodigia edidit; quæ cum Ephemerides Sanctorum paſſim obuiæ referant ego ea hic non appendo. Cæterum D. Eligij familiaritate & in eadem regia commoratione celebre quoque nomen habuere, Audoënus, (qui & Dado) cum Adone, & Radone germanis fratribus: qui omnes illuſtri eximiarum virtutum faſtigio ſpectatiſſimi id ætatis fuerunt. Nam Ado natu maximus, palatinis officiis abdicatis, excolendi tranquillius animi cupiditate, ſecretam ab hominum congreſſu vitam ad multos annos exegit. Rado, propter ſpectatam magnis & multis in rebus animi integritatem, regiis theſauris præfectus, id muneris magna fide, atque ab omni cupiditate remotus ſuſcepit. Audoënus denique prudentiæ, modeſtiæ, & integritatis laude cumulatiſſimus ad ſigilli anulique Regij cuſtodiam deputabatur. quem iam multò rerum vſu præclare inſtructum, cum Regiam chlamydem vili ſago mutare ſtatuiſ-

ſet,

ſet, Eligius ſolemni Eccleſiæ inſtituto poſita coma in Clericorum ordinem adſciuit. Ac deinde per DAGOBERTVM ad Rotomagenſis Eccleſiæ clauum euocatus, vſqueadeo Præſulatus honorem non ambiit, vt Eligij autoritate regi flectique debuerit, quo tandem oneri oblato ſuccederet. *Erat*, inquit vetus autor; *Audoënus in ieiuniis frequens, in vigilijs pernix, in orationibus assiduus, in eleemoſynis largus, pauperes pro Christi nomine alacriter venerans, in mandatis Dei erat promptiſſimus. quibus rebus aſſequebatur, vt viuus illuſtre ſāctitatis exemplū referret.* & poſteaquam ad cælum morte migrauit, debitum meritis præmium, defuncti virtutem Deus compluribus editis prodigijs conteſtaretur. D. Audoëno ſuppar fuit Wandregiſilus è Virodunenſi Diœceſi nobili genere & multarū imaginum, Pipini Francorum Principis Nepos, Waltchiſi Filius. qui præclaris dotibus, ob quas vna cum DAGOBERTO Aulæ innutritus fuerat, eximius, ob exactam prudentiam per omnes militiæ gradus tandem ad Prætorij Præfecturam conſcēdens, cum magna inter proceres auctoritate & gratia polleret, ambitioſam vitam pertæſus, poſteaquam ſe Regis & familiarium conſpectui abſtuliſſet, ad D. Audoënum Rotomagū profugit, atq; ſuapte manu comam ponens, ab Audoëno in Leuitarum album, demum ab S. Audomaro Taruennēſi Præſule in Presbyterū religioſiſſimis ceremonijs inauguratus eſt. Erat probitatē ac pietate magnificus, pauperibusq; reficiendis deditus inprimis, in Eccesias & Clericos voluntate propēſiſſima, vti quos benigna manu nutriret, prædijsq; ac latifundijs auctos locupletaret. Tandēm vbi ſe omnibus vijs a DAGOBERTO ad Aulam retrahendum peruideret, ad mōtem Falconis perrexit, ibiq; ad ſolitariam vitam excolendam Deo ſponſione voti ſe ob-

ligauit.

ligauit, quam cum sub D. Bathfridi magisterio seuerissimè transegisset, vitæ illum sanctitas Cælitum fastis inseruit, vt Martyrologia testantur. Eiusdem Audoëni consortio Philibertus de Insula Horio satus exsplenduit; quem generis nobilitas, vitæ probitas, religiouis studiū, eaq; indoles & ingenii lumen, quo inter DAGOBERTI Ephebos excellens breui vniuersam aulā illustrauit, cum Regi & palatinis carum fecissent, sub D. Agili Resbacensis Cænobiarchæ disciplinam receptus, Aulicos honores eremo posthabuit: tandemque ab Batilde Regia Clodouæi II. sanctissima coniuge, fundo Gemmetico in Rothomagensi ditione impetrato, anachoresi excolendæ præclarum Monasterium condidit. Vitæ merita testantur prodigia, quæ diuina bonitas ad testificandam eius sanctimoniam, cælestemque felicitatem edidit. Sanctus item Ausbertus huic siderum choro inseratur, publica laude florentissimus, qui DAGOBERTO Regi à confessionibus fuit, vir sanè eximia integritatē, animarum zelo, paupertate, corporis maceratione, & animi cultu eximius, quod vitæ acta loquuntur. In eundem numerum prodit S. Romaricus magni in sua Gente nominis, & DAGOBERTO sanguine iunctus, quem omni sanctimonia & religionis operibus conspicuum fasti Ecclesiastici cælestibus adscribunt, lucem, sidus, & gemmam sanctitatis: hodieq; per Austrasiam fulgentissimam eius vitam libello proprio Serarius noster complexus est. Iam S. Richarij viri religiosissimi memoria, quā supra recoluimus, me solicitat, vt eum amplissimæ laudis argumento, vel perstringendo misceam, vti qui in summa rerum humanarum despicientia, cum mundi carnisque blandimenta diuino seruitio posthaberet, ieiunij, cilicij, verberationis, peruigiliorum tamquam amplexus palæstram, DAGO-

berto

BERTO propter ſanctitatis opinionem gratioſiſſimus, frequenti exhortatione vitæ perfectioris deſiderium iniecit. iamque vt cælitum vnus colitur. Nec prætereo S. Magnobodum Andegauenſium Præſulem, priſci moris ac regulæ, auitæ religionis, & Cleri decus. quem vbi DAGOBERTVS ob eminentem vitæ ſanctitatem Lutetiam Pariſiorum ad ſe accerſiiſſet, dum reorum carceres pertranſiret, vinctorum compedes effractæ, & carcerum repagula continuò aperta fuiſſe perhibentur. Atque ita, qui res florentiſsimo Francorum imperio geſtas memoria repetet, palatia illorum inueniet non tam ciuilium hominum gymnaſia fuiſſe, quam ſcholam Sacerdotum & Senatum Epiſcoporum. Neque enim ſolius DAGOBERTI hæc laus fuit, Cunibertos, Eligios, Arnulphos, Modoaldos, Richarios in regia nutriuiſſe, qui eam non integritate & innocentia vitæ duntaxat, ſed iuſtitiæ, religionis, & prudentiæ grauitate exornarent. quin & in Caroli Martelli bellicoſi Regis aula Bonifacios, Hildulphos, Willibrordos reperimus, qua cæleſtis ſapientiæ & exempli moriſque priſci ſeueritate Præſules! & de Carolo, cui rerum geſtarum amplitudo Magni nomen dedit, literis maiorum proditur, ipſum inter Pontifices & Epiſcopos aſſiduè commorantem, domi foris, pace belloque, ſine hoc clauo & Eccleſiaſticæ gubernationis diſciplina, nunquam in altū reip. nauem commiſſiſſe. quare hanc Deo illi tributam felicitatem accurati ſanique veterum Scriptores referunt, vt Sacerdotum voce tamquam lituis excitatus, non barbaros modo populos genteſque ferociſſimas bellis attereret, ſed victis aut deditis Longobardis Italiæ dominis Imperium Occidentis cum immortali ſui nominis gloria Leonis autoritate capeſſeret, & ad poſteros quoque tranſmitteret. Ne vero moderatos & abſtinentes viros,

Acta & vitæ horum SS. & Francorum hiſt.

Eginhart. Francor. An. apud Pithoeum.

ſuique & rerum humanarum deſpicientia inclytos, cãpum ambitionis in Principum aulis quęſiiſſe putes, ſpectati in hoc genere fuerunt, tum plerique eorum, quos iam recenſui, tum alij non pauci: qui vt ſacrarum ciuiliumque rerum callentes domeſtica, palatinam militiam, cancellorum decus, denique admiſſionum & inductionum officia per viros Principes ingeſta cum laude tractarent: cumque aliquem publicis negociorum tractationibus modum facere anhelantes, in Cænobia tamquam in portum confugerent, oblata Sacerdotia fortius repudiarint, quam alii ambiiſſe viſi ſunt. vt excẽplis Bonifacii Maguntiacenſis, Hildulphi Treuirenſis, Wilibrordi Traiectenſis, Heriberti Agrippinenſis, Godehardi Hildesheimenſis, Brunonis Leucorum, denique Ottonis Bambergenſis, Epiſcoporum, facilè monſtratur. Cæterum eorum albo iam delibato, qui Aulam DAGOBERTI eximia ſanctitatis opinione illuſtrarunt, expectari poteſt, vt qui eâdem laude commendabiles in æuum Dagobertinum inciderunt, indicti expertesque laudis à me vel compendio non transmittantur; quales complures fuiſſe comperior, vt Amatum Sedunenſem Antiſtitem, Clodulphum Mediomatricum, Paulum Virodunenſem; religioſiſſimos item Cænobitarum Archimandritas, Remaclum Stabulenſem, Theodardum Malmundarienſem; Iodocũ item & Forſinum Vincentium Britanicorum Regum, Lutwinum Auſtraſiæ Principes; qui vitam principalem cum monaſtica ſolitudine mutarunt: Atque vt ſuus quoque infirmiori ſexui locus ſit, Modeſtam, Seueram, Gertrudem, Idubergam, Beggam, Waltrudem, Altegunden, probatiſſimæ virtutis fæminas, quibus ob eximiam vitę ac morum ſanctimoniam publicus in Eccleſiaſticis faſtis honos habetur. At cum horũ elogia iuſti

voluminis

voluminis opus exposcant, & noster animus id temporis compendio intentus sit, vel inuiti hoc labore superſedemus.

NOTA.

Comam ponere, tum in pleriſque Sanctis iam recenſitis, tum aliis priſci aui, Clericatus inſigne fuiſſe.

CLericorum inſigne fuit priſcis Eccleſiæ moribus, capitis vertex in modum coronæ attonſus. Ea nota regni & perfectæ virtutis, Petri Apoſtoli exemplo, ad Dominicæ quoque paſſionis memoriam, teſte Ceolfrido apud Bedam, fuit aſſumpta. Licet enim veteris Cleri cultus varias temporũ vices ſubierit; Galliarum tamen, vt & Occidentis Clericos comam poſuiſſe, & plurimum aluiſſe barbam, eruditi notant. Olim enim reuera detonſos, nec fas fuiſſe capillum promittere, Carthaginienſis Concilij IV. Canone, & decreto Aniceti docetur; *Clericus nec comam nutriat, nec barbam radat vel tondeat.* Sed & Concilio Toletano IV. DAGOBERTI ætate in D. Leocadiæ celebrato, per Iſidorum Hiſpalenſem ſancitur; *viri Sacrati non verticem tantum, ſed caput totum capillis in coronæ figuram conformatis radunto.* Eius moris veſtigia etiamnum retinet Epiſcopus, qui prima tonſura, vt vocant, Clericum faciens, crinium flagella incîdit, & raptim capillos hincinde delibat. Quam, clericalis tonſuræ germanum fuiſſe inſigne, in multis veterum Clericorum ſepulcralibus monumentis, & vitreis templorum feneſtris oſtendi poteſt. Eandem coronæ ſpeciem, quam ſoli ferè monachi hoc tempore retinent, ſanctioris cuiuſdam deditionis argumentum probatiſſimi autores meminerunt, & Nazaræorum in Veteri Lege inſtituto confirmant. Hinc Reges, Regumque filii, qui vel mentis inopia, vel ob facinus animi libidine deſignatum, vel quod publica reip. adminiſtratione indigni iudicarentur, non niſi detonſi Monaſteriis includebantur. vnde eſt illud Crotildis Reginæ Matris memorabile effatum, quæ duobus filiis caput abſcindi, quam comam maluit. Atque vt illa hanc raſi verticis nudationem dedecori habuit; ita eximiæ cuiuſdam ſanctitatis augurium in-

Hiſt. Angl. l.5.c.22.

Martyr.Rõ. 15.Kal.Maii Maurolyc. Meſſan. ib. Anno 634.

Aug.lib. de oper. Monach. c. 31. & lib. retr. Ioſeph. l.4. antiq. Paul.Aemil inCaroloM Greg. Tur. l.3.c.18 l.6. c.24.& 44. Guid.Pãcir lib.var.lect Iacob. Sirmund. ad Sidon.

didem Gregorius Turonicus in Sanctissimo Nicetio Treuirorum Archiepiscopo captauit; dum ait, ab ortu Clericum fuisse signatum; vt qui ritu infantium vulgari, nudum quidem à capillis verticem habuerit; at in capitis circuitu mediorum capillorum orbem apparuisse, vt hinc putarint Coronam fuisse Clericalem.

Caput XXIV.

DAGOBERTI Regis bella in Saxones, Vascones, Aquitanos, Sclauos gesta.

Append historia Franc. Greg. Tur. l. 11. c. 78. Sigeb. in Chron. Paul Aemil. l. 1. Vicét. Dell. l. 24. c. 35. Stumpff. l. 3. Pant. de viris Ill. Ger. p. 1. Crantz. Saxon. l. 1. c. 31. Histor. Sclauorum in Biblioth. Pistor. Rhegin. l. 1. Chron. VVolfg. Lazi' de migr. Gene. l. 3. Otto Fri. Ling. l. 5. Chr. c. 9.

QVæ duæ res in ciuili gubernatione plurimum valent, Ars militaris, & Religionis studium, eæ in DAGOBERTO vel maximè viguerunt. & militiam quidem Onesander inter boni Imperatoris conditiones principem numerauit. certè Q. Sertorij, quem Hispani ob imperatorias virtutes, Romanum Hannibalem vocare soliti erant, vox illa fuit; *malle se ceruorum exercitum Leone duce, quam Leonum Duce ceruo.* Et DAGOBERTVM inter alia immortalitati consecrauit, non tantum paternæ gloriæ æmulatione nullum aut prudentis Ducis, aut strenui militis officium intermisisse, sed vel maximè eos hostes capitis sui oppositu profligasse, de quibus vix dubites, quin maiore aduersus Christi fidem, atque contra Francorum imperium odio flagrarint. Age igitur, qui DAGOBERTVM pulsis intestinis hostibus, atque profligata pellicum impuritate pium vidimus, nunc etiam fortem atque inuicta virtute regni hostibus vindicandis victoriisque gloriosum intueamur. In his grauissimum fuit prælium, quod ei viuente Clotario sub Bernthaldo II. Saxonum Rege, cum

Bertoldo rei bellicæ vſu id ætatis celebri, quem ſecundi bellorum euentus vana ſpe inflauerant, geſtum eſt. Nam cum Saxones Francis annuum vectigal quingentorum boum (qui quod in Regiã quotannis inferrentur, Inferenales dicti) ab Clotario id nominis I. Clodouæi Magni F. Chilperici Patre victis imperatum fuerat, pendere detrectarent, vt eſt fere ſemper ſæuitia perfidiæ comes, finitimos populos Francis fæderatos, obnoxioſque nouis cladibus oppreſſerant. Itaque Franconici & Thuringici fines incurſionibus vaſtati, corruptæ fruges, deformati agri, pagi, villæ, oppida incenſa, prædę hominum, pecorum, armentorum abactæ. His cognitis Clotarius, cui domi conſilium, foris arma vigebant, gnarus nihil in nouis motibus celeritate ſalutarius, DAGOBERTVM filium, vt erat bellaci animo, tanti incendii reſtinguendi cupiditate inflammatum, magnis feſtinatiſq; delectibus per Auſtraſiam & Galliam habitis, hoſti obuiam miſit. qui inſtructis copiis progreſſus, Auſtraſia peruagata, Rhenoque tranſito, cunctis formidabilis in Saxoniam penetrauit. Simul in conſpectum hoſtium venit, caſtra caſtris collata primum, deinde leuibus vtrimque præliis dimicatum, poſtremo totius dimicationis ſigno propoſito totis viribus & copiis concurſum eſt. In ardore pugnæ, vt ſunt ancipites etiam Ducum caſus, nihil propius fuit, quam vt DAGOBERTVS letale vulnus acciperet. Quare Clotarius per legatos & literas ad opitulandum ſolicitatus, in hoc diſcrimine rerum ſuarum ſubitaria militum manu conflata, maximis itineribus contendit, vt filio ſuppetias veniret. Hæc ex veteribus Francorum annalibus ſumpta ſunt. præſtat tamen Gregorium Turonenſem proximæ ætatis autorem, rem, vt geſta eſt, literis commẽdantem, audire, & huic narrationi fidem facientem his

Elias Reuſn. in ſtirpe Aſcania.
Naucl. volum. 2. gen. 1.
Blond. 1. decad 1. 3.
Aimoin. l. 4 c. 18.

verbis; *DAGOBERTVS collecto hoste plurimo Rhenũ transiit aduersus Saxones ad pugnam: illisque fortiter certantibus DAGOBERTVS super galeam sui capitis percussus, abscissa particula de capillis eius ad terram, à retro stans armiger eius collegit. At ille læsum cernens populum suum dixit ad armigerum; perge velociter cum crine capitis mei nunc ad Patrem meum, vt succurrat nobis, antequam cunctus corruat exercitus. qui currens velociter Ardennam siluam vsque fluuium penetrauit. Illuc Clotarius Rex cum exercitu plurimo peruenerat: cumque nuncius ille detulisset Regi abscissum crinem filij sui, nimio dolore commotus Pater cum strepitu tubarum de nocte consurgit, & cum exercitu Rhenum transit.* Hactenus Greg. Porro incredibilis Clotarij aduentu exercitus lętitia fuit, tantoque militum clamore gratulationes factæ, vt fama rei ad hostica castra peruenerit. eâque cognitâ Bertoldus attonito similis hæsit; nec in animum inducebat superstitem esse, quem iam aliquot annos mortalibus exemptũ fama vulgante crediderat. Interim castra castris modico interuallo distabant, arma arma deposcebantur. militum vociferatio, equi, tela, tympanorum crepitus, tubarum clangor, nil prætcrea exaudiebatur. Iam acie ad pugnam pro castris explicata, Clotarius speculatum progressus, equo vectus, armisque fulgens, loco vnde exaudiri posset, dux cautus simul & fortis, ad circumfusam multitudinẽ verba facturus, dum galea caput denudat, è capillorum canicie ab Bertoldo agnoscitur. Qui, vt erat natura ferox, rapidus in consiliis, lingua immodicus, Regi Clotario conuitium facit. Sed, aut pereat, aut perdat necessum est, qui Principi metum parit; vt hic accidit. nam Clotarius contumelię impatiens, mox in confertos hostes rapitur, perque amnem aquis inundantibus rapidum cum

Otto Frif. l. 4. Chron. c. 32. ex Greg. Laz. de migr. Gent. l. 3. de Gallo Gr.

certissimo

certiſſimo vitæ periculo,quamuis ingraueſcente ætate tranans (tanta erat vincendi rabies) atque vniuerſæ dimicationis aleam ſubiturus, iam mortis contemptæ ferocia præceps Bertholdum non antea perſequi deſtitit, quã extrema ſpe fortiter dimicãtẽ interimeret, & caput à ceruice reſectum victor ad ſuos referret. nec minus interea, dato pugnæ ſigno, correptisq; armis ab exercitu ardore animorũ vtrimq; maximo concurritur, multis paſſim ab equitatu Saxonico ſtratis, fuſiſque. At confoſſo copiarum Duce Bertoldo, conſternatis Saxonum animis, inclinante prœlio plerique in fugam vertuntur, qua quemque ſpes aut metus agebat. Victoria igitur, cæſo Bertholdo, penes Clotarium ſtante, quicunque Marte arbitro in eius poteſtatem veniſſent, modo gladij regij longitudinem excederent, cæſi ſunt. dandum hoc videtur clementiæ Clotarij: tum vt plures exitio eriperet; tum ne ad liberos, quos ętatis innocentia excuſabat, pæna deueniret. At Francorum exercitus victoria lætus in patriam reducitur. vbi populus, Reges victriceſque copias pompa triumpho ſimili reuectas excipit, cunctis nobiles auſus, lætiſſimumque laborum exitum cum voluptate prædicantibus. Finem huius belli poſt annorum ſenûm interualla initium alterius excepit, quod Sigueardum inter Gentis Saxonicæ Ducem, & DAGOBERTVM exarſerat. Ardebat Sigueardus pertinaci cupiditate dominatus Francici excutiendi. hoc ſimul DAGOBERTO gnarum fuit, deductis Galliarum præſidiis omni ex parte, & fæderatorum maximè Burgundionum auxiliis aduocatis, non minores quam antea clades Saxonibus repetito bello intulit; illud tamen ſeueritati temperamentum adhibuit, vt nihil præter ſolitum vectigal quingentûm boum imperaret, velut in victoriæ pretium. Atque exinde ruptis ſæpe refectiſ-

que

que fœderibus Saxones bella ex bellis serere aduersus Francorum Reges consueuerunt. Sed & Vascones Pyrenæis iugis à tergo cincti, quibus olim Nauarri accensebantur, cum prouinciam angustis finibus circumscriptam vltra præscriptos limites proferre laborarent, bellum DAGOBERTO indixêre, cui incendio primus olim faces Theodericus Amalus Veronensis Theodemiri F. Valarniri circa An. Christi CCCCLXXVII. N. primus Gothorum in Italia Rex, victo cæsoque Odoacre Rugorum & Herulorum Rege, in Francos mouēs, subiecerat. At DAGOBERTVS supremo conatu numerosum exercitum conflauit, nouo prouincialium delectu habito, & veteribus copiis in vnum corpus cōportatis. plurimi ex hostibus cæsi in pugna fugaque; superstites partim dedititij facti partim fuga dilapsi cum Ainando Duce, qui tum res in Vasconia gerebat, Glypiacum ad Regem venerunt, humillimis precibus eorum, quæ commissa erant, veniam oraturi. At cum ea quæ merebantur, ab irato Rege pertimescerent, ad D. Dionysij commune reorum asylum confugere. Cuius honori datum est, vt Rex perfidia verbis castigata, acceptoque fidelitatis sacramento, vltimi supplicii metu perfusos conseruarit. Nec diu postea iterum in Vascones studio nouarum rerum defectionem meditantes, conflato Burgundionum exercitu, Duce Audoëno duxit. quo in bello Gunderaldus vir ad alias virtutes, religionis studio inflammatus adeo fidam Regi operam nauauit, vt copiis omnibus oppressis & Vasconibus sub imperium missis, Maior Domus ab Rege diceretur. Secundum hęc, in Aquitanos gentem belli gloria ferocem alia illum ex arcano cura concitauit, quos Marte arbitro ad deditionem compulit præsidio ciuitatibus imposito, effecitque, vt hoc quasi fræno, prouincialium fero-

cia

cia cohibita, Francorum quidem res aut tranquillæ, aut modicè lacessitæ florerent. Cumq; sub idē tempus Hunni, vt erat gens quietis impatiens, post grauissimum cum Bulgaris conflictum, victi fugatique consilio inter se communicato, numerosa multitudine (nouem millia fuisse aiunt) per Galliarum prouincias se infudissent, DAGOBERTVM obtestati sunt, vt se in fidem tutelamque reciperet, iureiurando se obligantes in Regis potestate futuros, si modo agri ad habitandum concederentur. DAGOBERTVS se illorum postulatis æquum præbuit, & tantisper in Boiariā se reciperent mādauit, quoad de sede certa statueret. Qui nequaquam in beneuolentiæ simulatione fraudem subesse rati, cum imperata fecissent, DAGOBERTVS barbara inhumanitate ac fide plusquam Punica, hospitibus Boiis in mandatis dedit, vt spe hospitalitatis delusos incautosque, vna nocte impetu in non opinantes facto, ad vnum omnes contrucidarent, forte, quod spes non esset, gentem alienis laboribus raptoque viuere assuetam ingenium permutaturam. Sclauos præterea domuit, ad Baltici maris litora incolas, Vandalorum antiquitus stirpem (quos Plinius in Germania collocat, qua parte hodie Melburgenses & Pomerani sunt). multum illis audaciæ ad bella suscipienda inerat, multum prudentiæ illis administrandis Samone Duce, aduersus quem latrociniis & peculatu in Austrasios exercito fædum, DAGOBERTVS cum lectissimorum equitum peditūque turmis Saxones in auxilium euocauit; hoc operæ pretium pollicitus, si vinceret, vectigal quingentorum boum inferendalium remissurum. sapiente consilio, vt euentus docuit. absque illo siquidem fuisset, Francorum gens rei male gestæ ignominia deformis hostium direptionibus subiacebat. Nam cum Austrasii Vinidos, qui

ad Vogaſtrum Caſtrum lento agmine procedebant, obſidione clauderent, ab hoſtibus ſubitò irruentibus cum ignominia repulſi ſunt. Quo tam præclaro victoriæ initio elati, & maiora complexi animo, quam quæ gerere videbantur, cum arma eorum tota prope Auſtraſia impune volitarent, iis comprimendis magna militum manu opus erat. huc accedebat, quod cum Winidi agris paſſim per Auſtraſiam Franconiamque vaſtatis, & oppidis direptis Thuringiam appeterent, Deruanus Dux, qui pro Rege Francorum finitimis vrbibus cum poteſtate præerat, cum partibus ſtuderet, turpi ad Sclauos defectione inclinârit. vnde maiori mole bellum coortū eſt. quod præliorum euentu varium, ſucceſſu tandem Winidis exitiali geſtum, ſubditorum animos ad officium pacemque reuocauit. At indomita Sclauorum gens cum magnam Regi DAGOBERTO curam iniiceret, palatinorum conſilio Sigebertum Auſtraſiis Rectorem dedit; cuius deinde auſpiciis præſidia per Thuringiam diſpoſita Winidorum incurſiones repreſſerunt. Hæc quamuis plures per annos geſta, narratione iuncta ſunt, ne diſperſa memoriam perturbarent. Sed bella miſſum faciamus; cum intra pacis opera me libentius contineam.

NOTA.

Saxones Francorum Regibus crebrò rebellarunt; quoad à Carolo Magno ſubacti, Chriſtum amplecterentur.

SAxones, quorum nomen ac mentio Valentiniani & Valentis Imperio primum in Romana hiſtorica reperitur, blanda libertatis ſpe ſæpius irritati, Francorum Regibus ſubinde rebellarunt, nam & Clodouæus II. DAGOBERTI filius armata manu in Saxoniam formidabilis penetrauit, rurſumque vectiga-

lem fecit: insuper arce Ballenstemii occupata, Bathildam Siguear-di filiam in Franciam abductam, Christiana fide suscepta legitimo toro sibi iunxit. quos eo dem Carolus Martellus, denique Pipinus oppressit, tributo CCC equorum imposito. Sed edomandæ penitus gentis vera laus Carolo Magno Pipini Filio reseruabatur. qui bello longè omnium difficillimo & diuturno, triginta trium circiter annorum perpetua contentione feliciter confecto, potentem ac bellicosam gentem non ad Imperium modo, sed ad Christi religionem adiunxit. qua de re luculentum ex B. Sturmionis Saxonum Apostoli vita documentum proferre lubet; *Regnante feliciter*, inquit, *Domno Carolo, Saxonum gens sæua & infestissima cunctis fuit, & paganis ritibus nimis dedita. Rex vero Carolus Domino semper deuotus, cum ipse Christianissimus esset, cogitare cœpit, qualiter gentem hanc Christo acquireret. Inito Seruorum Dei consilio poposcit, vt precibus Dominum votis suis annuere obtinerent. Congregato grandi exercitu, inuocato Christi nomine, Saxoniam profectus est, assumptis vniuersis Sacerdotibus, Abbatibus, presbyteris, & omnibus Orthodoxis atque fidei cultoribus; vt gentem, quæ ab initio mundi dæmonum vinculis fuerat obligata, doctrinis Sacris mite & suaue Christi iugum subire faceret. Quo cum Rex peruenisset, partim bellis, partim suasionibus partim etiam muneribus, maxima ex parte gentem illam ad fidem Christi perduxit; & post non longum tempus totam prouinciam in parochias Episcopales diuisit; & seruis Domini ad docendum & baptizandum potestatem dedit. Hæc B Egil in vita S. Sturmionis.* Adduntque alii, eiusdem gentis ad decem millia cum vxoribus & liberis in Flandriæ oram translata. B. Rhen. l. 2 rerũ Germ.

Caput XXV.

DAGOBERTI Regis ad Orbis Monarchas & Reges Legationes; iustitiæque studium, & elogium.

TEmpora bello vacua, & optabili tranquillitate insignia legationes exceperunt. Heraclius ex Herculano Africæ Præfecti Filio post Phocam

Append. histor. Franc. l. 11. c. 64. & seqq. Elias Reusn operis Basil. S. Antonin. p. 2. c. 3. Vicent. l. 23 c. 48. & 49. Blond. 9. decad 1. Paul-Diac. hist. Lōgob. Ioan. Mag. l. 16. c. 27 Rhegin. l. 1. Chron. Ant. Mayer l. 1. annal. Flandr. Ioan. Mari. rerum Hisp l. 6. Naucl. volum. 2. gen. 21. Volateran. Anonymus in Episc. Argent. Chrō. Argent. Ms Anonym. de Ladgrau Thuringiæ apud Pistor

cruenta cæde trucidatum Imperator facile, aliàs belliq; pacisque artibus, tum reportato salutiferæ Crucis ligno, cum quouis superiorum Impp. conferendus erat; ni postea in fraudem Monothelitarum impulsus reliquas vitæ actiones deformasset. Is, vt erat Astrologorum & Ariolorum vanitati addictissimus, posteaquam ab iis accepisset, ingentem metum Christianis à gente recutita impēdere; quod de Saracenis Mahumete Duce debuerat, de Iudæis interpretatus, nationem Hebræorum omnibus modis diuexatam, denique extra Imperii prouincias expellendam curarat. nactusque opportunitatem aduentu Legatorum Seruatii & Paterni quos ambos prisci moris viros, rerum vsu, generis nobilitate, atque multis magnisque in rebus spectata fide DAGOBERTVS Constantinopolim è Gallia transmiserat, illud ab Rege impetrauit, vt Heraclij exemplo, DAGOBERTVS per Franciam edicto capitale fore sanciuerit, ni Iudæi intra condictum diem vel solum verterent, vel sacra. plurimi, quæ huius gentis notissima est peruicacia, exilium maluerunt; ceteri tempori seruientes, veræ pietatis cultum aut simulando, aut amplectendo, incolumes manserunt. Cuius deinde coactionis quæstio (cum idem in cæteris quoque Prouinciis, ac potissimum Hispania, Heraclii autoritate & hortatu præstitum fuisset,) posteaquam ad Synodi Ecclesiasticæ tribunal iudiciumque translata fuit, in Concilio Toletano melioribus consiliis Patrum sententiâ sic est decisa; vt Iudæis æternæ seruituti mancipatis, filii eorum septennes à parentibus abstracti Christianis hominibus educandi, instituendique traderentur. Atque ita iniurioso cogendi modo frænum postea iniectum est. Eâdem in Hispania Sisenandus homo præpotens & bellicis artibus cuiuis veterum Regum æqualis, (quarum

rudimenta inter Clotarii adulta sceptra cum DAGOBERTO posuisse nonnuli affirmant) Sintilæ Regis odio contemptuque,honestissima legatione in Franciam ad DAGOBERTVM missa,omnibus precibus orat. vires ad Regem euertendum conferat. & Regiam supellectilem (missorium veteres dicunt) ex auro solido quinquaginta libras pendentem nauatæ operæ precium spondet. Nec mora, DAGOBERTVS insigni officio promptus sibi Regis demereri gratiam, Abundantium & Venerandum Duces domi militiæque claros,& ex multarum rerum tractatione prudentia singulari,delegit, qui tota Burgundionum nobilitate concurrente,ingenti exercitu Cęsaraugustam deducto,præcipuis etiam Vrbibus, quâ vi,qua voluntate subditis,repudiato Sintila, regnum Sisenando compararunt. At victor Sisenandus,quod iuratam auri facti pactionem, Gothis obnixè resistentibus, pendere non posset, CC. solidorum milia appendit, Ædi SanDionysianæ absoluendæ attributa. Dehinc Richarium magni nominis Ducem ad Samonem Sclauorum Regem res repetitum misit. Nam Samon, quem auri fames præcipitem agebat, dirum in Pręfectis & Ducibus malum, neque quid legibus & pactis conuentis liceret, pensi habens, Francos negociatores depopulabatur. Ne vero latius serperet malum, DAGOBERTVS damna reposcens Richarium destinauit, qui Ducem salutaribus monitis minisque adiunctis, quibus belli denunciatio continebatur, ad officium reuocaret. At Richarius Samonem phylargyria & auaritię sordibus omnia honesta detrectantem offendens, re ad DAGOBERTVM delata, Saxonibus, vti supra memoratum, sub Regia signa contractis, obstinatos bello ad obsequium traduxit. Iam Iudicaildem continentis Britannię Regem, quęsitis fru-

ſtra omnibus aliis, conſumptiſque remediis, Francorũ finibus hoſtiliter incumbentem in pace ponere conatus eſt. Paciſcendi cura D. Eligio demandata, non minore ſanctimonia viro, quam prudentia diligentiaque. is, vt erat id ętatis autoritate pręcipuus, omnem procellam, quæ ex Britannorum in Gallias incurſionibus emerſerat, multa monendo hortandoque diſcuſſit. nam & mutuo colloquio de conditionibus actum; ac tandem pax firmata, quæ ad vitæ exitum publico bono ſtetit, addita inſuper ex auro argentoque munera, varia ſupellex, veſtes precioſæ. deniq; id DAGOBERTI Regis gratiæ atque honori datum, vt Iudicaildis cum Eligio reduce DAGOBERTVM Clypiaci id temporis morantem inuiſeret. Et eſt magnis viris innatum, quales ambo Reges erant, poſt contentiones pacem ardentius colere, odium conſtantius humanitate compenſare; ſed præterea familiaritas Iudicaildi peculiaris cum Eligio perdurauit; & cum Audoëno coniunctio animorum præcipua, quam ſtudiorum ſimilitudo vitæque in vtrouis genere par ſanctitas conciliarat. His atq; id genus compluribus egregiis DAGOBERTI factis obtentum eſt, vt non modo Gallicanæ, ſed & finitimæ prouinciæ crebris irruptionibus ſolicitatæ, vnum fere DAGOBERTVM, tamquam cælo lapſum hominem reſpicerent, in eiuſque tutelam volentes ſe conferrent. Neque ſolum in diſcordiis concordandis, ſed & ferendis legibus imaginem iuſtitiæ DAGOBERTVS præclaram exhibuit. non ignarus, illud regnandi genus, quod maximis copiis & principatibus nititur, diuinum euadere, ſi cum iuſtitiæ dignitate coaleſcat; ſin diſiungatur, ab effera & agreſti vita nihil differre. Principatus vero diuini ſingulare donum, dixit olim Cornelius Tacitus, eſſe, Sacrarum Legum autoritatem.

Ergo

Ergo Iuſtinianum Auguſtum æmulatus, adhibitis inter ſuos ſpectata virtutis, ſapientię opinione viris, Claudio alias Quado, Chadoindo, Indomagno, & Agilolfo, eum locum adeptis, vt procerum inter primos longe eſſent clariſſimi, diſſipatas legum ſanctiones in vnum volumen digeſſit. Nam Salicas in optimam formam reuocatas ab omni paganiſmo repurgauit, & Alemanicas, Baioarias, Ripuarias, quas vniuerſim Theodericianas appellatas volunt, à Childerico recognitas, à Clotario perfectas, DAGOBERTVS innouauit: ſuas quoque Burgundionibus, quas Gundebaldus quondã tul erat, in optimam ſeriem redactas præfixit. vt maxima omnium voluntate IVSTI cognomentum acquiſiiſſe vetuſti annales ferant. quod vnum in reliquis priſcorum Franciæ Regum elogiis Chriſtianiſſimo Ludouico XIII. hodie feliciter Francorum ſceptra moderanti placuiſſe, factiſque præclariter exhiberi, Catholicus Orbis applaudit.

NOTA.

De inſignibus Legatorum, deque optimorum Regum ſtudio in ferendis Legibus.

SIcut Legati Romanorum verbenas ſiue herbarum ſagmina, à quibus Sanctos dici cœptos, ait Martianus I. C. ferebant, ne ab vllo aduerſus ius Gentium violarentur; ita Gregorius Turon. autor eſt, Francorum Legatos mitti ſolitos, cum virgis cõſecratis, ne à quoquam læderentur, mitti conſueſſe. Et Aimoinus teſtatur, Legatos à Gundualdo Burgundionum Rege ad Guntramum Francum Aureliani Regem deſtinatos, ſub annum DLXXXVI. virgas ſacras ferre iuſſos, vt ab omni iniuria immunes eſſent. Virgas vero iſtas non verbenas fuiſſe ritu Romano, ſed caduceum potius reor Græcorum more, id eſt, virgam Mercurio ſacram, duorum ſerpentum ornatu mutuoque complexu concordatum: quem caducei ritum à Gallis ad alias gentes translatum

L. ſanctum. ff. de rerum din.
L. fin. ff. de Legatione.
Greg. Tur. l. 7. de geſt. Franc.
Aimoin. l. 3 de geſt. Frã c. 67.
Plin. l. 29. c. 3. & l. 25. c. 9

Plinius

Plinius meminit. Caduceis vero posteriore æuo gestari desitis olinas successisse opinor, ritu Latino, quem Publius Maro l. 11. Æneid. attigit, vel certe laurum similiter paciferam. Iam Leges quod attinet, fuit magnum Regibus apud Gentes fere omnes studium, respubl. sibi concreditas legibus vel latis vel recognitis infrenare. atque vt Mosen apud Hebræos, apud Ægyptios Mercurium, Lacedæmonas Lycurgum, Romanos Numam celebratissimos Legislatores sileam, eadem cura fuit Eurici, alias Euridici apud Wisigothos, teste Isidoro Hispalensi, Rotharii eius nominis I. apud Longobardos, vt vult Warnefredus, apud Saxones Anglos & Frisones Haraldi, vt ait Adam Bremensis, Gundebaldi apud Burgundiones; quem eo nomine laudat Greg. Turonicus, quorum vestigia pressit DAGOBERTVS noster non tantum Salicis, sed maxime Theodericianis legibus recognoscendis ita nuncupatis, quod eas Theodericus I. Francorum Rex Clodouæi Filius primum sub annum Christi CCCXCIX. promulgauit, quas deinde Clotarius DAGOBERTI Parens publicis comitiis proposuit sanctè custodiendas, iis abolitis, quæ gentiliciam superstitionem redolebant.

Isid. Hispal. not. in Chr. Vvarnefr. hist. Lõgob. l. 4. c. 44. Ad. Brem. l. 2. c. 19. Hemold. hist. Sclau. l. 1. c. 15. Greg. Tur. l. 2. hist. c. 33

Caput XXVI.

DAGOBERTI MAGNI Testamentum, Obitus, Sepultura.

NOn animo, non armis, non arte belli, non religione, non vigore consilii quisquam Regum ea tempestate DAGOBERTO par erat. vti qui religionis ac pietatis castissimo cultu, maximarum virtutum laude, & rei militaris summa ac singulari gloria amplissimæ Francorum monarchiæ magnitudinem exæquauit. vnde MAGNI cognomen eximio gentis fauore apud seros etiam posteros promeruit. Qui prouidus futurorum, superiore vita salutaris pænitentiæ dolore sanctisque operibus rite ex-

piata, anno quartodecimo regni citatissimis nunciis Æganũ magno animo virum, prudentia item fideq; singulari, quem pari gratia atque autoritate apud Clotarium pollentem, & ipsa canicie venerandum eximiè semper coluerat, vnaque Pontifices ac Proceres Bigarium ad comitia exciuit. In eo conuentu duæ res ad memoriam insignes sancitæ sunt. Nam primum luculenta oratione ad Optimates ac Præsules, qui frequentes aderant, præfatus ineuitabilem leti necessitatem, quæ per tot funerum acerbitates in omnes manat ac sæuit, nec Regum turribus abstinet: dehinc subiecit, compluribus morbis obnoxio sibi curæ esse, nequid regnum viris, opibus, & fama florentissimum detrimenti caperet. Igitur, quod felix faustum auspicatumque foret, vti antea Sigebertum in Austrasia Regem dixisset, ita nunc Clodouæum in Francorum regno successorem nominare, qui paterna regna extra Austrasiam capesseret: ambosque regni & fortunarum hæredes vna cum Nanthilde Regina matre Ægano fidei expertæ viro commendare. tum filios monuit, nouo iureiurando fidem suam adstringerent, id ratum habituros, quod testamenti tabulis Parens consignasset; Deum testem atque arbitrum fore, ne datam vltro citroque fidem fallerent. Regis orationem Æganus Procerum nomine magno affectu, & cum verborum honore accepit. mox Clodouæus præcipua omnium lætitia solio eburneo sublimis, & intertexta auro veste conspicuus, vt erat Francorum mos, Neustriæ Regnum cum titulo accepit. Cærimonia peracta, Rex pro ea voluntate gratias agit, eius diei perpetuo memorem se fore profitetur. insuper Nouum Regem compellans hortatur, Deum Conditorem suum amaret iuxta timeretque; propinquis pietatem, Sacerdotibus honorem, Ecclesiis tutelam, Cænobiis lar-

Baron. tom 8.
S. Antonin. t 2. c. 6.
Meyer lib. 1 annal. Flan
Append. hist. Franc. ad Greg. l. 11. c. 74.
Naucler. l. c.
Molan. in addit. de vsur.
Herm Contract. in Chr.
Scriptores rerũ Franc. & Regum Gal. passim in Dagoberro.

gitatem, pauperibus misericordiam, clementiam afflictis, iustitiam omnibus impertiret. qui supremis iussis monitisque, pro eo ac debebat, se morem gesturum recepit. Interea omnia regni loca festâ lætitia & faustis acclamationibus personabant. Populus DAGOBERTI laudes ad cælum prædicatione efferre, patriæ liberatorem, hostium terrorem, Reip. patronum compellare, felicemq; prædicare, qui viuens vidẽs geminam prolem regnantem cerneret: nouo Regi florens imperium, secundos pace belloque euentus, annos æternos apprecari. Exinde DAGOBERTVS posito diademate, trabeaque & regiis insignibus detractis, extremum Proceres & populum affatus, ceu breui migraturus, eò, vnde aduenerant, remisit. Denique periculoso Dysenteriæ morbo in Spinogilo villa, quæ ad Sequanam longulè ab Lutetia Parisiorum dissidet, laborare cæpit; eoque grauius inualescente, rebus omnibus domi compositis, ad D. Dionysii Basilicam religionis ergô seruitiorum obsequiis delatus est. vbi pænitentiæ remediis ex ritu Christiano piè procuratus, posteaquam de more Sacrosancta Diuorum tutelarium corpora supplice auimo coluisset, magnitudine morbi quassato penitus fractoq; corpore, ad diem XIV. Kalend. Februarias, quartodecimo regni anno expleto, qui in annũ restitutæ per Christum salutis sexcentesimum quadragesimum sextum incidit, viuẽdi modum fecit. religionis, iustitiæ, pietatis, & regiarum virtutum, quæ maxima sæpe vitia obruunt, laude immortalis. Sanè DAGOBERTVS dum vixit, liberalitate ac munificentia prorsus profusâ pleraque tota Francorum ditione templa vel excitauit, vel muneribus auxit; Parisiis præsertim SanDionysianum: in cuius ornatum instructumque, vt aliquam diuinę bonitati in eius Athleta gratiam redhiberet, exaggerato

quodam

quodam pietatis ſenſu diligentius incubuit. in eodem frequentiſſimè Sanctorum corpora ſubmiſsè veneratum, & cum ætatis inclinatione multum diuinis officiis intereſſe ſolitum, ferunt; vſque eò, vt cum Sacerdotibus ſacratas ſtataſque Dei laudes publicè caneret: quod Germania in Carolo Magno, & Henrico Sancto multis ſæculis poſt vidit, & obſtupuit. Defuncti funus vnguentis delibutum, Regum inſtituto, & ad D. Dionyſii ædem, Regum buſtis ab ea tempeſtate deſtinatam nobilemque funeratum eſt: nec magis palatinorum cura celebre fuit, quam ciuium & veriſſimis totius populi lacrymis. Neque pigebit, eundem è Teſtamenti tabulis, etſi non integris cygnæũ proferentem audire; ſic enim loquitur;

In Nomine Trinitatis Domini Dei Omnipotentis, Apoſtolicis Patribus, Pontificibus videlicet, ac Abbatibus, & reliquis Sacerdotibus, intra regnum noſtrũ conſiſtentibus, DAGOBERTVS Rex Francorvm. TESTAMENTVM DAGOBERTI.

Quantum intellectualis ſenſus humanus poteſt ſagaci mente penſare, atque ſolerti indagatione perpendere, nihil amplius valet in huius ſæculi luce ac fugitiuo gaudio lucrari, quam quod de rebus tranſitoriis, locis venerabilibus quis ſtudeat in alimoniam pauperum impendere; quatenus, qui fragilitatem naturæ generaliter patiuntur, priuſquam ſubitanea tranſpoſitio eueniat, pro ſalute animæ euigilent; vt non inueniatur quiſquam imparatus, vel ſine aliquo reſpectu diſcedat è ſæculo. Quin potius, dum propriç libertatis iure ſubſiſtit, ex caducis ſubſtantiis intra æterna tabernacula vitã ſtudeat mercari perpetuam; vt inter iuſtorum conſortium deſiderabilem valeat locum adipiſci. &c. Itaque nobis ſana mente ſanoque conſilio placuit, &, vt diximus, deuotio diuina nos admonuit, vt pro ſalute noſtra & pro æ-

terna retributione conſcribendum præciperemus teſtamentum: & pro immutabili beneficio quatuor vno tenore firmauimus inſtrumenta: & quidquid vbiq; per loca Sanctorum contulimus, inibi ſimili annotatione contexuimus. Ex quibus vnum Lugdunum Galliæ direximus, aliud vero Pariſiis, tertium Metis in archiuis Eccleſiarum cuſtodienda direximus. Quartum autem, quod præ manibus habemus, in theſauris noſtris aſſeruari præcipimus. Donamus igitur ad Baſilicam Domini Vincentii Pariſiis, donatamque in perpetuum eſſe decreuimus villam cognominatam Cumbis in pago Pariſiaco, quam Vrſa filia Alderici tenuit. Pari modo ad Baſilicam Sancti Petri Apoſtoli Pariſiis, vbi S. Genoueſa requieſcit in corpore, villam Drauernum in Brigeio. ad Baſilicam vero Diui Dionyſii item Pariſiis, vbi cum ſociis ſuis requieſcit, villam Brannantem in Brigeio. ad Baſilicam Dominæ Columbę & Domini Lupi Senonis, villam Grandencampum in Gaſtinenſi &c. Cumque poſt depoſitam à nobis carnis ſarcinam, vnuſquiſque Pręſulum, qui locis pręcepto inſcriptis pręfuerint, aſſignata ſuſceperint, rogamus & obteſtamur per terribile Domini noſtri IESV Chriſti nomen, vt memoriam noſtri tribus in hebdomada diebus, per ſequentes annos faciant; ac pro requie animę noſtrę ſacrificium offerant ſalutare, nomenque noſtrum quaſi perpetuum tenẽtes memoriale, libro inſerant vitę. Vos autem, boni filii, conſiderantes primum naturę religionem, cuius gratia etiam beſtias ligat, manete fratres. nolite exire iure, quo onerati eſtis. Deinde reueremini me Patrem veſtrum, qui rogare malo, cum poſſum iubere, vt ſtatuta noſtra inconuulſa ſeruetis, ſicut veſtra à ſucceſſoribus veſtris ſeruari voletis; profecto ſcientes, quod ſi à nobis ſancita contemptui habueritis, quod non arbi-

tror, pari modo & vestra à posteris contemnentur decreta. Hæc DAGOBERTVS.

N O T A.

Autores, qui diuersa de anno mortis DAGOBERTI sentire visi sunt, conciliantur.

De obitu DAGOBERTI non vna omnium opinio est. Sunt, qui sexdecim annos regnasse asserunt, atque hi biennale spacium, quo Clotarii parentis voluntate Austrasiæ vniuersæ cum potestate præfuit, Francici sceptri annis videntur accensere. quod ni dixerimus, haud video, quî Aimoinum grauem cæteroqui testem ab mendo vindices. nam cum lib. 4. rerum Francicarum cap. 31. narrasset, DAGOBERTVM quintodecimo regni sui anno Vascones, Clypiacum Amando Duce in D. Dionysii Basilicam profugos, venia malefactorum impertita domũ remisisse; disertè subdidit cap. 34. eiusdem libri; DAGOBERTVM annis XIIII. gloriosa functum regni administratione, in Spinogilo constitutum XIIII. Kal. Feb. diem clausisse extremum. Eandem diei seriem, numeris annorum nonnihil vitiatis, in peruetusta Ecclesiæ Weissenburgensis membrana comperi. numero tamen & diligentia potiores historici, anno regni quartodecimo expleto, vita decessisse affirmant, qui cum Anno post Christum natum DCXLVI. aptissimè concordat, si quidem illum à Kalendis Ianuar. vulgato more auspicemur.

Caput XXVII.

DAGOBERTI ELOGIA; *deq́ ijs, quæ mortem eius consecuta sunt.*

IAm vero, quî DAGOBERTI laudes & vitam pæne contriuimus, hic & iusta illi sua persoluamus. Et habent in DAGOBERTO Reges ac Principes, quod colere, quod

admirari, imò & imitari possint; si pectus illud regale virtutibus heroicis inclytum Iubeat intueri. qui Aimoini testificatione hoc præclarum indolis regiæ ac germanæ Principum virtutis elogium retulit; *fuisse admodum cautum, ingenio astutum, circa beneuolos & sibi fideles mansuetum, rebellibus autem ac perfidis valde terribilem; exercitijs corporis maximè venationi deditum, atque in omni agilitate corporea strenuum, peritia quoque atque virtute in bello prævalidum.* cui non auctarium modo; sed & coronidem encomiorum adtexentem Vrsperg gensem audiamus; qui ait; *fuisse fortissimum & Francorum nutritium, in iudiciis Ecclesiasticis seuerissimum, largitorem eleemosynarum præcipuum, pacem in regno suo statuentem, & timorem gentibus in circuitu inijcientem. ipsumque velut Salomonem pacificum regnum obtinuisse quietum. cuius vitam & mores vtinam,* inquit, *nostræ tempestatis Reges ac Principes saltem in parte imitarentur.* Hæc Abbas. Porro quod ad ingressum DAGOBERTI in alteram vitam attinet, fecit suo exemplò exploratum, difficile & miraculo proximum esse, in summa potestate ita tenere modum, vt nusquam excedas, & in tanta rerum varietate nunquam offendas. Quo in genere accidit DAGOBERTO quiddam non immerito ab obliuione vindicandum. Rem gestam ex Aimoino recitat Baronius doctissimus Cardinalis, cui multa posteritas debebit, quod innumerabilia antiqua, quæ vetustate sepulta iacuissent, in vitam reduxit. Is refert, Ansoaldum virum genere atque opibus illustrem, quem Ecclesiæ Pictauiensis Defensorem vocat Aimoinus, peregrè in Siciliam profectum, indeque reducem, vectum myoparone, ad peninsulam quandam appulisse, vbi vir innocentissimus Ioannes nomine, sub vili tuguriolo abditus degebat, anachoresi exercendæ. Huc cum

Aimoin. l. 4 de gest. Frã c. 33.

Baron. t. 8. annal. Sigeb. in Chron. Aimoin. l. 4. Naucl. volum. 2. gen. 23.

Ansoaldus

Ansoaldus lembo transmissus paululum declinaret, vt erat diuinarum rerum commentationi addictissimus, habitis vltro citroque de æternitate colloquiis, rogat Ansoaldum Ioannes, ecquid DAGOBERTVM Francorum Regem pernosset? eoque annuente, vitæque seriem enarrante, subiecit; præteritis diebus, cum multa vigiliarum & ieiuniorum contentione, insuper senio confectum corpusculum ad aliquam quietem reclinasset, adstitisse sibi nocturno silentio, virum habitu oris, corporis specie, & canicie verendum, ac monuisse Ioannem, properè consurgeret, & pro DAGOBERTI Regis anima, quæ sub idem tempus à corpore demigrasset, celeris remedii indiga, cæleste Numen precaretur. cumque feruenti supplicatione Deum flectere laboraret, ex aliquanto temporis interuallo apparuisse sæuientium dæmonum cateruam, qui rabie perciti, furenter obuia quæque agentes ferentesque, ceu victores capta præda exsultabant. mox attonito sibi accidisse ad aures vocem in magno fremitu grandiorem pleniorẽque, quæ DAGOBERTVM Regem inclamaret. dehinc vidisse Regem compedibus adstrictum, ingruẽtibus vndique verberum ictibus, nunc in altum crudeliter sublatum, mox depressum immersumque in horrẽdos pelagi insanientis vortices; atque inter hæc summo impetu & fragore verbera variè adacta. iamq; illum tot allisionibus confractum, & iactatione maris æstuantem, victrix dæmonum improbitas ad horrifica Vulcani antra pertrahere nitebatur. In tanta trepidatione DAGOBERTVM, misericordiam pacemque Dei flebiliter exorare; & adhibitis Sanctis deprecatoribus, quorum nomina ingeminabat, eorum se precibus obnixè commendare. ingemiscere, precari, obtestari, sibi in tanto periculo volentes propitii assisterent. Mox

aperto velut cælo noua lux oriri visa, tantusque exaudiri circa insulam fragor stridorque, vt fluctuum quidem haustu insulam ipsam crederes e vestigio absorberi. Inter hæc, ceu numina quædam & sidera tutelaria, emicabant Cælites illi, Dionysius, Mauritius, Martinus, quorum præsidio ac tutelæ DAGOBERTVS se commisisset. Horum radiis stygiam hanc caliginem & Lauernionum infernalium monstra, relictâ in medio animâ, confestim se horribili cum vlulatu proripuisse; mox Patronorum choro appropinquante, animam tot vexationibus exinanitam, velut rediuiuam, mediam inter vindices suos cælestibus insertam; dum illud Regium epinicion lætabundi accinerent; *Beatus, quem elegisti & assumpsisti, Domine; habitabit in atriis tuis.* Hæc Ioannes Ansoaldo. Quæ in Gallias redux Ansoaldus, cum D. Audoëno Rothomagensium laudatissimo Præsuli, cuius laudes supra compendio delibauimus, enarrasset, ille literis mandata posteritati transmisit. Eamque narrationem auorum memoria creditam, & pro indubitata habitam, testis est Ludouicus cognomento Pius Caroli Magni F. qui epistola ad Hilduinum D. Dionysii Cænobiarcham sanctissimum, cum miris ac veris laudibus S. Dionysium extulisset, pergit in hunc modum; *Prædecessores nostri gloriam huius eximij & amici Dei Dionysij non inaniter coluerunt; qui dum eius Sacras exuuias in terris ob amorem & honorem Domini Nostri* IESV *Christi opibus, quibus poterãt, honorauerint, per eius preces dignissimas honoris priuilegio potiri & in terrenis & in cælestibus meruerunt. vt videlicet vnus ex priscis Francorum Regibus* DAGOBERTVS, *qui eundem preciosissimum Christi Martyrem veneratus non mediocriter fuerat, & in mortali est vita sublimatus, & per eius adiutorium, (sicut diuina ac cælestis ostensio perhibet) à pœnis est liberatus.*

Hæc Ludouicus. Non igitur debuerunt quędam à DAGOBERTO perperam facta, ea, quæ laudabiliter ac pie gessit, obliterare. cum pro bonis viris eos etiam par est habeamus, non qui peccarint nunquam, quod humanarum virium modum excedit, sed qui cum honesta plurima egerint, ea, in quibus deliquerunt, pænitudine ac dolore recensentes benefactis repararunt. Quod in DAGOBERTO vidimus. Meminerint etiam, qui cum potestate præsunt, Deo ad liquidum omnia discutienti, & in reos quantolibet fastigio positos implacabile tribunal ac maiestatis quandam sedem erigenti olim, vbi facta Regum examinantur alio foro, strictissimam de omnibus rationem reddendam, terribili, & ei, qui aufert spiritum Principum, terribili apud omnes Reges terræ.

NOTA.

Liberalitatem Dei, Diuorumque cultui impensam, DAGOBERTO ad salutem profuisse, simili exempto Henrici II. liquet.

FVere quidem notæ illæ ac næui, quos suis antea locis reposuimus: qui vt in vita gloriam famamque nominis Dagoberti non modicè infecerunt; ita post mortem cum non satis eluti fuissent expiatique, his dæmonum exagitationibus iusto Dei iudicio euentilari necessum fuit, vt vel hinc intelligas, in DAGOBERTO virtutes tantas tamque illustres extitisse, dolorem item ac pænitudinem de malè actis tam acrem, vt facilè labes omnes etiam tæterrimas delere potuerint. Et certe profuit DAGOBERTO, sanctissimos habuisse iuuentutis moderatores, Arnulphum, Pipinum, Cunibertum, viros æquè prudentia in rebus agundis, quam religione in Deum, fide in Regem laudatissimos. profuit, viros coluisse sanctimonia eximios, quorum precibus Deum sibi propitiaret, & exemplo in magna vitæ licentia constitutus virtutem in aula coleret, labesque contractas dilue-

ret, profuit, Diuorum Templa vel à fundamentis excitata, vel à ruinis vindicata, munificentissima liberalitate votis & donis impleſſe. quorum ope ac sanctimonia & Regis pietas, dum viueret, ſuſtentaretur, & poſt funera ſalus in tuto collocata fuit, vt, quod Paulinus actorum S. Ambroſii fidiſſimus Scriptor de Christianiſſimo Imperatore Theodoſio dixit, eum de Ambroſio fateri ſolitum ſe meritis & orationibus eius ſeruatum eſſe; hoc non minus DAGOBERTVS noſter de Sanctis, quos in omni vita mirifice coluit, dicere habeat. Nec diſpar euentus fuit beneficentiæ Diui Henrici id nominis II. Imperatoris; quem eodem temporis ac neceſſitatis articulo perſenſit, quo DAGOBERTVS; cuius ſeriem præſtat ex vetuſto vitæ Scriptore nuper à Iacobo Gretſero recognito accipere; ita inſit. In eius tranſitu terra plorante cælum exultauit. Sub ipſa etenim hora exitus illius cuidam Seruo Dei in ſolitudine commoranti diabolus ſub humana ſpecie traditur apparuiſſe; quem vir Dei per ſpiritum propius agnouit, & ait; Quo vadis? cui ille; ad exequias, inquit, Principis pergo. at ille reſpondit, Vade, & comple negocium tuum, quantum tibi à Deo permittitur: veruntamen completo officio tuo adiuratus per Deum viuum ad me reuertere, vt per te rei exitum cognoſcam. Poſt modicum vero reuerſus coram ſeruo Dei gemebundus adſtitit, & voce querula & ingenti vlulatu dixit; Heu heu! deluſi ſumus, in vanum laborauimus; quin etiam ab Angelis Dei confuſi diſceſſimus. Aſſiſtentibus enim hinc & inde nobis, & ſpiritibus Angelicis, merita animę iuſtè in ſtatera appenſa ſunt, & faſciculis peccatorum deprimentibus iam pæne pars noſtra præponderauerat: tunc ſubito aduſtus quidam ſuperueniens (S. Laurentium Leuitam notabat) cum catino aureo (ingentem calicem intelligebat anſatum, quē Eccleſiæ Merſburgenſi Henricus ad D. Laurentii honorem donarat) partis dextræ lancem onerauit, mirumque in modum parti noſtræ adeo præpōderauit, vt & ipſo catino ad terram collapſo, ruina colliſionis ſignum expreſſerit. Itaque victores Angeli animam nobis ereptam in ſuum conſortium abduxerunt. Ex quibus videas, parem pietatis fructum Henricum cum DAGOBERTO noſtro tuliſſe, vt ambo Diuorum, quibus addi-

cti fuerunt, aduocatione, à pœna piaculari vindicarentur. Cæterum, quando Vulcanii montis in Sicilia positi commemoratio nem in hoc DAGOBERTI viso factam cernimus, visum fuit, eius topothesiam ex inedito D. Arculfi oculati testis libello, in quem nuper incidimus, verbatim huc adscribere; sic ergo habet. *Quædam insula in Sicilia habetur ad Orientalem plagam, XII. millibus à Sicilia distans, in qua Vulcani mons quasi tonitruum totis diebus & noctibus in tantum tonat, vt Siciliæ terræ longius positæ terrifico tremore submoueri putentur: sed magis sexta feria & sabbato intonare videtur; qui omni tempore noctibus flammare monstratur, diebus vero fumare. Hæc*, ait Amanuensis, *mihi Arculfus scribenti de eodem dictauit monte, qui propriis illum oculorum aspexit obtutibus, in Sicilia per aliquot hospitatus dies.*

Caput XXIIX.

DAGOBERTVM, vti & sæculum sextum, quo vixit, Catholicum fuisse.

NOn tam ego Theologum hic ago proponoque, quam DAGOBERTI fidem ac vitam Catholicorum doctrinæ consentaneam fuisse, ostendo. neq; hic actum agere velim, vt irrefutabiles huius sæculi sexti testes Orthodoxæ veritatis adducam; quos qui digestos in ordinem velit, is per me licet inspiciat Bellarminos, Hosios, Costeros, grauissimos Controuersiarum arbitros. Vnum ego scilicet DAGOBERTVM ex iis, quæ narrauimus, accedere stipulatorem Catholicæ veritati, & testium arcanæ sinceræque fidei augere numerum; vt qui multa aduersus huius & præteritorum temporum errores remedia pariter & documenta reliquit; multa piè ac laudabiliter credidit & fecit, quæ nos frustra hodie per Nouato-

res dedocemur. Itaque vestigia duntaxat legemus eorum, quæ fusius aliquantò enarrauimus, quæ singula publici velut præconii argumentum habent aduersus veritatis inimicos, Ecclesiam Catholicam eiusque scita & iura vsque & vsque sugillantes. Principio quidem templorum procurationem, & sanctissimarum Basilicarum structuram, ornatumque DAGOBERTVS suscepit; quando religionis amplificandæ studio, Argentinensem Diœcesin Deiparæ Virginis nomine & patrocinio inclytam Episcopali iure dignitateque auxit: in primaria eius Vrbe Templi ab Clodouæo positi structuram nouis operibus auxit; sub eiusdem suffragatione templum ac domicilium Haselacense, sub Diuorum Petri & Pauli Sebusianum, sub D. Martini Turonici Surburgense, item Heiligenstadianum; sub D. Dionysii Areopagitæ Lutetiæ regia Metropoli SantDionysianum; denique sub aliorum tutelarium nomine præsidioque Clingense, Regiopontanum, Traiectense, Neohusianū, & id genus alia complura magnis cæmentis ac molibus ex imo ad culmen eduxerit. quid iam vasa aurea argenteaque, tabulas, lances, peropsidas, thuribula, pateras, lychnuchos, lapides, columnas, ex auro, argēto, gemmis, & quantiuis precii metallis templis illata, Deoque dicata memorem? opima Sacerdotia instituta? prouentusque annuos, quibus Deo sacrati homines viuerent, templis consignatos? Ex quibus primum quidem cernere est, quanta extiterit, quamque profusa maiorum aduersus Deum Diuosque in cælo degentes obseruantia & religio, quamque impensè optarent ipsi Tutelarium indigetum precibus patrocinioque fulciri; rursum perinde liquet, sub Attilæ, Croci, Vandalorum, Gothorum, Alanorum, & veterum Sanctæ Ecclesiæ hostium signis illos stipendiatos esse, qui in hæreseon castris plurimi ætate

nostra

nostra vixerunt, viuuntque; qui dies noctesque nil cogitant aliud, quam quo modo amplissima Maiorum donaria interuertant, templorum penetralia expilent ac despolient; fundos, vectigalia, Ecclesiarum patrimonia strangulent ac suffocent.

Quam vero præclarè DAGOBERTVS cum iisdem dimicat? dum publicis regij Testamenti tabulis ita consignatum reliquit; *cumque post depositam à nobis carnis sarcinam, vnusquisque Præsulum, qui locis præcepto inscriptis præfuerint, sibi assignata susceperint, rogamus & obtestamur per terribile D. N. IESV Christi nomen, vt MEMORIAM nostri tribus in hebdomada diebus per sequentes annos faciant; ac PRO REQVIE ANIMAE NOSTRAE SACRIFICIVM OFFERANT SALVTARE.* vbi vno ictu geminam dat plagam hæreticis. tum, vt culpas superesse discant in altero sæculo remissione eluendas, siue igne sensili ac diuinæ iustitiæ administro, quo pios vita functos maculæ tamen haud expertes emaculare docuit antiquitas, quique hinc Purgatorius dictus est. de quo, sit nec ne, solius vitilitigandi caussa noui sceptici nuper è Lutheri & Caluini schola dubitare cœperunt. tum, vt meminerint, hoc defuncto sibi muneris impertiri DAGOBERTVM postulasse, vti, posteaquam Deus ex hac vita se vocasset, iusta sibi Sacerdotes, augustissimâ ad sacrosanctam Dei aram Corporis & Sanguinis Dominici victimâ litatâ, persoluerent. quem in finem nomen defuncti in emortualem Ephemeridem earum, quas munificè exornabat, Ecclesiarum referri sanciuit.

Iam vero ruborem pariter & documentum nostri tẽporis hæreticis afferant toties repetita in DAGOBERTO exempla, quæ Sanctorum inuocationem eius sæculi

vſu contritam ſtabiliunt; præſertim cum Dionyſium in diplomatis regiis inter eos tutelares numerat, quorum aſperis in rebus opem ſibi præſentem ſæpenumero expertus eſſet; quorum etiam memoriæ, bono & perantiquo maiorum more, Baſilicas magnificentiſſimas ab imo totas exſtruxit; eaſdem Sacris martyrum & homologetarum exuuiis auguſtiores fecit: Sacra corpora diu obliuione obruta, cæleſtiſque prodigii admonitu inuenta, auro gemmiſque precioſiores theſauros, pleniſſima laude variè ornata ad venerationem expoſuit, dignas cæleſtibus pignoribus ſedes aptauit, aureas argenteaſque lapidibus precioſis diſtinxit, precioſis operibus ab S. Eligio magno elaboratatas ingenio. Eſtque pleno meridie clarius, non ſolum Dagobertino, ſed & aliis retrò ſæculis laudatam eam maiorum conſuetudinem viguiſſe, Martyrum conditoria Sacroſq; tumulos quātiuis precii metallis honeſtandi; ſenſuſque eorum ab his extitiſſe quam diuerſiſſimos, quibus hodie illa Iudæ parſimonia ſemper in ore, *Vt quid perditio hæc?* Interim non niſi furente hæreſi ſub noſtrum infelix æuum iſta maiorum pietas deceſſit;

Cumque illâ ceſſere ſimul verumque, fideſque;
In quorum ſubiere locum fraudeſque, dolique.

Vtinam vero ſolum Eccleſiis hæc ornamenta inuiderent noſtri temporis Verrini & Sybaritici canes; non eſſet profectò, quod hac memoria dolenter vidimus & audiuimus, non obſcurè & per ambages, ſed violentâ in Eccleſias irruptione in Auguſtis & regiis vrbibus; extuliſſe ſine ſcrupulo vaſa, queiſq; ad res diuinas vti ſolemus, vtēſilia, cruſtis argenti & emblematū detractis, compilaſſe crucifixi ſigna, excuſſiſſe & reuulſiſſe clauſtra reliquiarum, extorto auro & parergis, quibus inuolutæ fuerant; ſacra Diuorum pignora aut Vulcano furenter addixiſſe, aut in

præter-

præterfluentem sacrilegè abiecisse: vt Ecclesiarum opes pientissimasque maiorum donationes prædam ipsi suā censerent, & velut spolia hostibus detracta. Rem planè tragicam oculis nostris subiecit Panegyricus Serenissimo Boiorum Duci, è Bohemia post pulcerrimam victoriam reduci scriptus; *Anno*, inquit, *superiore, vbi in Bohemia pedem firmarat Caluinus, cœpit mox ipsas Dei sedes, dicata Diuis templa impiare, inter sacrosancta adyta latrocinari, verenda vetustate sepulcra temerare, ossa & reliquos Sanctorum cineres incestare, signa & imagines aris deturbare, truncare, mutilare, frangere, proterere, vrere, væsanæ turbæ ludibrio obiicere: vociferari, nos Catholicos incessere, & insaniam docere; sanctis honorem non habendum, & statuas eorum eliminandas.* at quo precio, quoue operæ fructu? Nimirum, sicut pientissimi Bohemorum Reges, Caroli, Ferdinandi, qui in Sanctorum Basilicas & tumulos magna donaria intulerunt, præclaras cōciliatis sibi Wenceslai, Viti, & aliorum Diuorum hac Christiana munificentia patrociniis à superis victorias impetrarunt; ita hîc, teste eodem Panegyrista, *vidêre facinus Sancti: & ne eos porro in cælo sedere cæcos Caluinistæ putarent, in impios hostes suos arma pariter sumpsere. videlicet lacessiti per annum Diui, fata Caluinistarum apud Deum tot sacrilegiorum vindicem properabant.* Iam etiam plurima Monasteria per Alsatiam, Austrasiā, Franciam, Germaniam, Galliam, ab DAGOBERTO fundata, prout publicis tum Sacrorum Pontificū, tum DAGOBERTI ipsius & Regum successorum diplomatū attestationibus docemur; quid nisi Catholicum sapit? iisdem eximias exceptasque possessiones vni Cœnobitarum alimoniæ seruituras addixisse, monasticen certis legibus institutisque temperatam, quam

Diuus Benedictus superiore sæculo in Occidentem ac Septemtrionem inuexerat,non nisi Catholicorum Regum, ac Principum facinora sunt. neque sum nescius, quid hic Pantaleon,& similis farinæ nonnulli senserint, non religiosorum asceteria quondam, sed scholarum duntaxat sophronisteria tam largis annonarum fundationibus constituta fuisse. Sicut enim ingenuam puerorum institutionem, SS. Basilij & Benedicti regulis receptam monasteriis agnoscimus , ita meritò illoti profanique homines exploduntur , dum illicò cænobia omnia nil nisi scholas ludosue somniant. id quod passim in omni vetustate , ex Fundatorum diplomatis , Diuorum actis, Cænobiorum tabulariis clarissimè elucescit; vt proinde plura addere non putem operæprecium. Videant interim, cui debeant suam amplitudinem cõplures etiam in hac Alsatia ciuitates; idque vel me tacẽte ex Beato Rhenano Alsata,non sat alias æquo rerum Catholicarum æstimatore,nec, vt erant illa tempora, magno Cænobitarum amico intelligant,qui apertè testatur,ipsa *templa Cænobialia ansam præstitisse reædificandis oppidis.* idque exemplis firmans; *multis annis,* inquit, *habitatum est in ruinis veteris Argentorati, & locus à palatiolo Regis,qui ibi nonnunquam agebat, (nam iam erat vicus,) aut à prædio* Königshofen *dictus. Verum Monasterium ipsum nonnihil distante ædificatum loco (* id fuit S.Stephani Adalberto Attici Filio fundatore Alsatiæ Duce positum dotatumque) *cui cupiebat optimus quisque ædes habere coniunctissimas , muniri cœpit , & muro claudi. itaque ex oppidulo cænobiali* (nam Cænobium potior pars erat) *contractis eò vicis proximis tanta posteriori tempore est Vrbs constituta.* Idem de Moguntiaco, & Nemetibus cum dixisset,tandem concludit, *occasione*

Cænobiorum

Cænobiorum in Germaniis oppida ista fieri cœpta. quod de Maurimonasteriensi proximè Tabernas Alsaticas, de Gengenbacensi ad amnem cognominem, de Schuterano circum eiusdem nominis Cænobium, de Monasterio in valle Gregoriana, notissimis Alsatiæ oppidis, verissimè item adstruamus. Videant etiam, ne dum Sacra intra extraque Vrbes domicilia non vi tantum & armis, sed arte, astu, ingenioque conuellere haud desinunt, magno omnium exemplo, qui Christi patrimoniis insidiantur, ex arbore tanquam ramos decerpant ipsi quidem; sed sicut his stantibus vnà steterunt creueruntque, ita his diffractis vnà tandem & ipsi è summo decidant. Certè nisi cordatos, subinde etiam armatos Præsules ac Cænobiarchas Alsatia vidisset, iam dudum Regum ac Principum latifundia & regalia munera, Ecclesiis Cænobiisque munificentissimè impertita, tum à superiorum ætatum harpyiis, tum à pestifera recens exorta Hermogenum manu tandem faucibus apprehensa, & cum ipsis Ecclesiis Cænobiisque abducta & strangulata fuissent. At sunt, qui ista delibarunt. neque mearum partium est, his diutius immorari.

Quid ni vero etiam erubescant ter infelices huius nostri sæculi dogmatistæ, qui superstitionem Papisticam vociferantur, contrà quàm DAGOBERTI Catholico æuuo sapuêre maiores: apud quos Sacerdotes, Monachi, Sacræ Virgines, vt in Amando, Florentio, Arbogasto, Arnulfo, Radegunde, Irmina, Adela, Aldegunde conspicuum fuit, insigni veste discreti à cæteris, atque ex vetere ritu detonsi in publico conspiciebantur. prorsusque erant gemini moribus iis, quos mirificè S. Augustinus tantò ante extulit, qui contemptis ac desertis mundi huius illecebris sacrosancta votorum religione constricti, aut in

Cænobijs communem vitam, aut per ſiluas diſſipati ſolitariam exigebant. quorum deinde complures facti de monachis Epiſcopi, (quod in Triumuiris noſtræ Diœceſis Præſulibus ſupra vidimus) nihil eorum abiecerunt, quæ vitæ perfectiori conſeruandæ alendæque virtuti conducerent; ſed velut præclara quædam ſuſcepti muneris ornamenta ac præſidia ex religione ad Epiſcopatum tranſtulerunt: vt egregiè D. Thomas Aquinas docuit. Iam vero quantæ autoritatis & amplitudinis apud DAGOBERTVM, maioreſque noſtros vidimus hoſce Sacerdotes fuiſſe, quos hæreſis & improbi mores docuêre nos iam contemnere? quantę diſciplinæ & fidei ſubditos & Catholicos, qui vnicum afflictæ ſalutis remedium quærere norant apud Sacerdotes & Religioſos? quos vbi ſpreuimus, Chriſtum & ſalutem abiecimus. Illi certe quondam, Reges Regumque ſobolem ad omnem veræ pietatis partem informarũt; quod in DAGOBERTO, Sigeberto, Clodouęo hactenus patuit. illi ad omnia familiaria iura, & conſilia Regis intima de ſupremis reip. rebus admittebantur; vt in Arnulpho, Audoëno, & Cuniberto ſpectatum fuit. illorum auſpiciis conſiliiſque palatina officia, priuataque optimis legibus gubernabantur. Cælibatum adhæc commendatum, rariſſimiq; precij virginitatem hoc eodẽ ſæculo caſtè ſanctèque cultam, aduerſus voluptuarios & vxoriam noſtri temporis ſectam, in Sanctiſsimis Præſulibus, religioſiſſimis Aſcetis, caſtiſſimis virginibus, DAGOBERTO vel affinitate, vel amicitia coniunctiſſimis, videas, quos omnes nec iugalia deinceps munia vnquam attigiſſe, & caſtimoniam eo in precio habuiſſe conſtat, vt cum *honorabile coniugium* ducerent, cum eodem tamen Apoſtolo Orthodoxè & ſcirent & ſentirent, *bonum eſſe homini ſic eſſe.* Quo in genere præ-

clarum est illud, quod hoc sexto sæculo B. Radegundes apud Greg. Turonicum Chilperico Regi, filiam è Parthenone Pictauiensi raptam sibi innuptis nuptiis copulare adnitenti, libera voce respondit; Non esse dignū, vt puella Deo dicata iterum ad sæculi voluptates reuertatur. Denique religiosam Sacrorum rituum ac cærimoniarum obseruantiam, quæ in Orthodoxa Dei Ecclesia per manus ductæ ad nostram ætatem in vsu sunt, commendat tum encœniorum vsus, quæ grauissimis cærimoniis tum aliis Basilicis, tum SanDionysiana potissimum ad culmen perducta, ab Episcoporum conuentu DAGOBERTVS Rex celebrare curabat, ni diuina bonitas anteuertisset: tum precationes Catechumenis adhiberi consuetæ; quod in Sigeberto baptismi fonte rite procurato factum patuit: tum denique signa & imagines etiamnum vetustis templorum saxis insculptæ; vt non memorem mille argumenta veteris Pontificum amictus, infularum, pedi, mitræ, & quæ sunt de genere eodem. quæ si concedimus maiorum æuo facta, & despuimus, fateamur necesse est, auos, & parentes nostros optimis adhuc morum disciplinis abhinc mille annis imbutos, quid veritas, quid fides, quid religio dictaret vetaretque, ignorasse; sin facta inficiamur, iam negemus omnia, comburamus annales, susceptas à primæuo Catholicæ fidei in Alsatia, in Europa, in Dei Ecclesia flore, Diuorum religiones euertamus; quiduis potius, quam à suscepta semel peruicacia in vetustis Ecclesiæ moribus sugillandis nos dimoueri, patiamur. Quod si vero DAGOBERTVS Argentoratensis Præsulatus autor parensque, si Sanctissimi Antistites triumuiri, tam qui sub DAGOBERTO sanctitate vitæ & innocentia floruerunt, quam qui Apostolis iam tum viuentibus ad has oras primi Sacrosanctam Christi

religionem ardentiſſimo zelo æſtuantes intulerunt, ſi Antiſtites, Reges, Principes, populi omnes, qui vel in eandem vel etiam citeriorem ætatem incurrerunt, probitate iuxta & pietate magnifici, ſi luculenta egregiaq; Pontificum, Cæſarum, Regumque diplomata, ſi omnis ſequiorum temporum ætas, ordo, ſexus ſalubri nos ad ea, quæ tenemus, retinenda, documento hortantur, monent, vrgent; ecquid ab heri natis, & ab prima ſui exortus origine damnatis deprauatarum hæreſeon erroribus peruertamur? Agite potius, Nobiles Alſatæ, D. Athanaſium ſuos clientes ab Pauli Samoſateni grauiſſimis turpiſſimiſque erroribus olim, & nunc eâdem orationis grauitate ab huius temporis Sectariorum falſimoniis dehortantem audite; *Suademus*, inquit, *vobis, quod & nobis ipſis ſuademus, vt traditam* ab Apoſtolis, à DD. Materno, Amando, Florentio, Arbogaſto *fidem retineatis, & auerſemini profana nouitatis verba, & idem reliquis præcipiatis.* Illam inquam fidem ſuademus amplecti, ſentire, credere, verbis factis palam profiteri, quam tot retro ſæculis ſacratiſſimi ab æuo Apoſtolorum in Gallofranciam, Germaniã, Auſtraſiam, Alſatiam, adeoque vniuerſum terrarum Orbem ſubmiſſi viri Apoſtolici, maximis itineribus laboribuſq; perfuncti, demum pleriq; ſanguine ſuo purpuratam intulerunt; quamq; ab iiſdem acceptam vniuerſis nepotibus ſuis, ceu preciosiſſimi theſauri depoſitum, ſanctè cuſtodiendam, nec niſi in Catholica Romana Eccleſia conſeruandam reliquerunt. Ab hac enim matrice ſalutaris fidei ac vitæ ſatores prodiiſſe, agnoſcunt in Neuſtriæ Regno Pariſini Dionyſium Areopagitam cum Eleutherio Presbytero & Ruſtico Diacono ſociis, diuini zeli pleniſſimis; Arelatenſes Trophinum; Viennenſes Creſcentem; Photinum & Irenæum Lugdunenſes, Saturninum Toloſates, Gra-

tianum Turonenses, Stremonium Aruerni, Lemouicini & Burdegalenses Martialem, Sanctinum Meldēses, Aurelianenses Altinum, Siluanectenses Regulum, Bisontini Antidium, Matisconenses Nicetium, Lingonenses Senatorem, Senonenses Sauinianum, Catalaunici Amatorem, Massilienses Lazarum & Maximinum, Andegauenses Defensorem, Bituriges Vrsinum, Remenses Xystum. At in Regno Austrasiano id ætatis amplissimo Santinū Virodunenses, Leuci Mansuetum, Mediomatrices Clemētem; Treuiri, Vbij, Tungri, imo & Alsatæ Maternum Eucharium Valerium Sacratissimos Triumuiros, & post sæculorum interualla Amandum, Arbogastum, Florentium, cum tota Præsulum religiosissimorum serie Orthodoxi Argentinenses, ceu incorruptos viuendi credendiq; Doctores in hanc diem memoria recolunt sempiterna. Sed iam huius argumenti nihil præterea attingam, quod tam perite ornateque à variis tractatum memini.

NOTA.

DAGOBERTVS à calumnia superstitionis vindicatur, meritòque vt cælitum vnus habetur.

COronis hæc quædam est laudum atque encomiorum DAGOBERTI, ac velut gemma in anulo. Quid enim tam gloriosum Regibus, quam non solum in terris sceptro, purpura, trabea fulgere, hominumque prædicatione efferri; sed & vita functos aulæ cælesti transscribi, publicisque Ecclesiæ fastis inter Diuos celebrari? Habuit quidem suos, dum vixit, næuos DAGOBERTVS, præsertim ab impuritatis vitio; sed eos iam antea dixi pænitudinis remediis, & operibus pietatis eluisse, inprimis vero tot Basilicis & Cænobiis constitutis, tot Sanctissimorum virorum & pignorum munificentissimis monimentis reli-

ctis, quibus cum noui Religionis hostes piè sanctèque addictũ, prout à maioribus acceperat, inficiari non possint, *superstitiosum* nominant. ita enim expresse Lambertus Hortensius, Secessionũ Vltraiectinarum Scriptor, DAGOBERTVM pietate clarũ prædicat, vt *ad superstitionem vsque religiosum fuisse* affirmet. nimirum pungit & vrit hostes reliquiarum, Diuorum perduelles, templorum expilatores, DAGOBERTVM Regem decem abhinc sæculis more Catholici Orbis ea fecisse, quæ hodie à nobis superstitiose fieri ad rauim vociferantur. Porro DAGOBERTVM tametsi solemni ritu in Diuorum apotheosin relatum nusquam reperiam; non desunt tamen, qui manifestè *Sanctum* vocarint; vt Iacobus Mantius, accuratissimus cum paucis veterum Austriacarum rerum Inuictissimi Cæs. Maximiliani I. iussu indagator, in syllabo vernaculi idiomatis eorum Sanctorum, qui vel sanguine vel affinitate Serenissimam Domum Austriam attigerunt. Huic accedit è recentioribus Heribertus Rosvveidus, qui Fastis Sanctorum (quibus & vitam eius promittit, quam nondum vidimus) *D. DAGOBERTI Regis Galliarum* nomen inseruit. quin & Sathanaci in Iuodiensi Decanatu, *Prioratum S. DAGOBERTI* comperio, qui Gorziensem Metensis Diœceseos Cænobiarcham collatorem agnoscit. Et certè receptum cælo conuincit visio Ansoaldi, S. Audoëno, & D. Ludouico cognomento Pio non solum credita, sed etiam ad posteros transmissa; quibus vt volentes accedamus, tantorum veritatis testium autoritas suo quodam iure meritissimo exposcit.

* * *

EPITOME

CHRONOGRAPHICA

Præcipuarum rerum, quæ in CLOTARII II. & DAGOBERTI Magni ætatem inciderunt.

Anno Christi	Anno Aetatis & Regni Clotarii.	
		TEMPORVM Epocham dabimus; non quidem quam pertinaciter indubitatam asseremus; sed quam publicos Scriptores ex Maiorũ monimẽtis ceu vero propiorem amplexos esse, deprehendimus.
588	1	Indictione VI. Pelagij II. Papæ anno IIX. Maurit. Imp. III.
		CHILPERICVS Clotarii I. ex Arigunda Filius, CLOTARII II. parens, DAGOBERTI Magni Auus, per sicarios ab Fredegunda vxore immissos, ne illa detecti cum Landerico stupri pœnas daret, è venatione redux occiditur, anno Regni Suessionũ XIII. Francici XV. sepultus Lutetiæ ad D. Germanum.
		CLOTARIVS II. infans quadrimestris, Patre interempto, regnare incipit, Guntramo Patruo Aurelianensium Rege, & Fredegunda Matre tutelam gerentibus.
		Childeberto Mediomatricum Regi ex Faldubrada Wisigothica, anno ætatis XV. Regni X. Theodebertus Filius nascitur.
		Concilium Lugdunense II. / Matisconense II. in Gallia celebrãtur.
589	2	Childebertus Mediomatricum Rex pacem firmat cum Ricaredo Gothico, posteaquam is Arrianismo renunciasset.
		Idem cum Guntramo & Fredegunda de iure tutelæ Clotarii infantis dimicans, bello superatur. nec

diu

ANNO Christi | Clotarii

diu postea è venatione rediens per sicarios à Fredegunda subornatos in equi descensu confoditur.

Leobardus S. Benedicti discipulus, qui vna cum Amando è monte Cassinate in Alsatiam sub annum Christi D L V. venerat, & primus Maurimonasterij per Childebertum anno D L I X. dotati ac priuilegiis stabiliti fundamenta iecerat, sanctimonia clarus vita defungitur pridie Kal. Ianuar.

Ei Anastasius I I. Abbas Mauri Monasteriensis subrogatus. præfuit annos X L.

Concilium Toletanum I I I. quo Ricaredus I. Gothorum Rex Catholicus cum Bada Coniuge, Arrianæ perfidiæ abdicationem, & professionem fidei Catholicæ scripto comprehensam Patribus Concilij obtulit.

590 | 3 S. Guntramus Clotarii Tutor miraculis claret.

B. Rhadegundes Clotarii I. Coniunx Regina Pictauis sanctissimè moritur. colitur X I I I. Augusti miraculis clara.

S. Bertinus I. Abbas Sithiensis nascitur in Diœcesi Constantiensi.

Concilium Hispalense I. cui præfuit S. Leander.

Pelagio Papæ I I S. Gregorius Magnus succedit.

561 | 4 Lues inguinaria Galliam & Italiam depascit.

S. Guntramus Rex eã à suis pietate arcere laborat.

562 | 5 Childebertus Thassilonem Bauariæ Regem à Garibaldo pulsum, in paternum regnum restituit.

S. Guntramus in Ricaredum Hispaniæ Regem ducens profligatur.

593 | 6 Theodericus Austrasiæ Rex & Brunechildis Bisuntinam Ecclesiam à Wandalis euersam reædificant.

Iidem Monasterium Suessionense S. Medardi insi-

gnibus

gnibus priuilegiis ornant diplomate regio, ad diem 7. Kal. Iun. Indictione vndecima.

Concilium Pictauiense.

594 7 S. Gaugericus, Cameracensis Cænobij fundator & Episcopus, nascitur.

595 8 Childebertus I. Austrasiæ Rex, Sigeberti Filius, Cathedralem Sedem Vindonissa Constantiam transfert.

Eiusdem instinctu Thassilo Boiorum Rex deuictis Sclauis triumphat.

596 9 Gregorius Magnus Theudelindæ Reginæ Agilulfi Longobardorum Regis Coniugi, IV. Dialogorum libros dedicat & mittit.

Theudelinda Templum S. Ioannis Baptistæ Moguntiaci exstruit.

597 10 S. Guntramus Aurelianensium & Burgundionum Rex, Parisiorū pro Clotario Rex, moritur, die XXIIX. Martij, Childeberto fratruele Austrasianorum Rege, successore. sepultus Cabilone ad D. Marcelli. miraculis clarus.

S. Gregorius Magnus, Augustinum Anglorum Apostolum ordinatum, Roma in Angliam cum XL. Sociis mittit. Hinc à V. Beda Anglorum Apostolus dictus.

598 11 Ricaredus Wisigothorum Rex, Francis antea confœderatus, sororem suam Fœlibam Childeberto Regi nuptui tradit. qui ambo vna die simul epoto veneno exspirarunt. Anno Regni Ricaredi XX.

Childeberto vita functo, eius Filii Theodebertus & Theodericus, ille in Austrasia, hic Aurelianis & in Burgundia subrogantur, sub tutela Brunechildis.

Sigebertus cognomento Exul, Comitum Habspur-

gensium progenitor, sæuissimæ tyrannidi, quam per Brunechilden exercitam volunt, per cognatos subducitur.

S. Columbanus Abbas Luxouiensis sanctissimè moritur.

599 12 Edilbertus Anglorum Rex, per D. Augustinum cōuersus, cum X. millibus Gentis suę Baptismū suscipit.

600 13 Sigebaldus XXXVI. Mediomatricum Episcopus Neouillarense Cænobium (hodie Canonicorū Collegium) in Alsatia fundat.

S. Gregorius Turonensis historiam Francoruum hucusque digessit.

S. Goarus Aquitanus, relicto natali solo, constructa ad Rhenum cella, cui hodie oppidum eiusdem nominis vulgo Sangewer adiacet, sanctimonia claret.

601 14 Fredegundis Regina Chilperici Coniunx Clotarii II. Mater, lubrica mulier, at bellicosa, moritur. Sepulta Lutetiæ Parisiorum ad pedes Chilperici, in æde D. Germani de Pratis.

Arnoldus in Austrasia Marchio, S. Arnulphi Mediomatricum Antistitis parens, obit.

Franci cum Hunnis rem fortiter gerūt in Thuringia.

Ricaredus I. Rex Gothorum sanctè moritur, regnauit annos XV.

Concilium Lateranense sub Gregorio Magno. extat tomo. 2. Concil.

602 15 1 DAGOBERTVS MAGNVS Clotarij II. F. Chilperici N. ex Bertrada Burgunda nascitur Indictione VI. Gregorij Magni Pontificat⁹ Anno XIII. Mauritij Imperat. XVII.

Mauritio Imp. succedit Phocas.

603 16 2 Clotarius Templum Morinense in honorem B.M.V. extruit.

Theodericus Rex Brunechildem Auiam suam ab Austrasiis Regno pulsam suscipit.

Offo siue Offanus Rex Angliæ (à quo Offenburgum Imperiale in Alsatia Oppidum) fundat & dotat Cænobium Schuteranum in Alsatia sub instituto D. Benedicti, dictum antiquitùs Offonis Cellam.

Gregorius Pont. Max. vixit die XII. Mart. Indict. VII. Illi succedit Sabinian⁹. Sedit m.5.d.19.

604 17 3 Clodesinda Childeberti Mediomatricũ Regis Filia, Ricaredo II. Gothorum Regi nubit, pace inter vtrumque Regem conciliata.

S. Mellitus Londinensium Episcopus, socius D. Augustini à Gregorio M. missus, Sigebertum Anglorum Orientalium Regem cum subditis Christo lucratur.

605 18 4 Clotarius & Theodericus prælio inter se colliduntur, Theoderico victoria potiente. In hoc prælio Angelus Domini ensem in populum distringere visus est. & xxx. hominum millia cæsa dicuntur.

606 19 5 Theodericus Austrasiæ, & Theodebertus Aurelianensium, Reges, Vascones debellant, & tributarios faciunt.

Bonifacius III. Pont. Max. Sedit m. VIII. dies XXIII.

A N N O			Epitome
Chriſti	Clotarii	Dagoberti	
607	20	6	S.Deſiderius ab Theoderico Rege in exilium pellitur.
			Bonifacius IV.Pont. Max. annos VIII. menſes VI. dies XIII. ſedit.
608	21	7	S.Auguſtinus.I. Cantuarienſis Epiſcopus, Anglorum Apoſtolus moritur XXVI. Aug.
609	22	8	Clotarius Epiſcopatum Conſtantienſem, à Childeberto ante annos XV. è Vindoniſſa translatum, ſtabilit.
610	23	9	Theodericus Mediomatricum Rex Henbergam Wiſigothicam, & Theodebertus Frater Bathildem, Coniuges repudiant.
			Exinde inter hos Fratres diſcordia gliſcere cœpit.
			S.Columbanus exulare iuſſus, in Burgundia, Veſontionem deportatur.
			Phoca trucidato, Heraclius Imperator proclamatur.
611	24	10	S.Deſiderius Epiſcopus Viennenſis, conſilio, vt ferunt, Brunechildis, à Theoderico Rege lapidibus obrutus martyrio coronatur. die XXVI. Maij.
			S. Rupertus Vangionum Epiſcopus Theodonem Bauariæ Ducem ad Chriſti fidem conuertit. fundatque Epiſcopatum, hodie Archiepiſcopatū Salisburgenſem.
			Concordia inter Theodericum & Theodebertum per ſequeſtros copulata, Theodericus Fratri cedit Alſatiam.
612	25	11	S.Columbanus à Theoderico, Brunechildis inſtinctu è Burgundia in exilium pulſus, Mediolanenſes Arrianam hæreſin dedocet. Inde ab Agilulfo Longobardorum Rege benignè acceptus,

eiuſdem

eiusdem fauore anno sequente Bobiense Cænobium in Apennini saltibus excitat. Idem Theoderico Regi vitæ & regni amissionem prædicit.

S. Waldericus sumptu Clotarii Regis iuxta Ambianensem Vrbem Cænobium construit.

613 26 12 Theodericus, hostes exteros Gothos & Longobardos metuens, pace inter Clotariũ conciliata, eundem muneribus placat. Dehinc Theodebertum fratrem bello appetit.

S. Amandus Elnone miraculis & diuini Verbi prædicatione claret. S. Bauonem ad saniora conuertit.

Agilulfus Theudelindæ maritus, I. Longobar-
614 27 13 dorum Rex Catholicus vita defungitur.

S. Columbanus in Bobiensi Cænobio sanctissimè moritur. alij ad sequentem annum differunt.

Clodesindis Virgo, Metenses sanctimonia illustrat.

Carolomannus Brabantiæ & Tungrorum Dux, Pipini Maioris Domus parens, obit.

S. Gaugericus Episcopus Cameracensis mori-
615 28 14 tur, & colitur die XI. Augusti.

BERTRADA Dagoberti Magni Mater obit. Eius tumulus in S. Germani Pratensis Lutetiæ Parisiorum visitur.

Clotarius, ea defuncta, Sichildem sibi matrimonio iungit. è qua Charibertus siue Aribertus nascitur.

S. Lupus Senoniẽsis Episcop⁹ sanctitate fulget.

Bonifacio IV. succedit Deusdedit Pont. Rom. an. III. minus V. mensib.

616 29 15 Pugna inter Theodericum & Theodebertum

Anno Christi	Clotarii	Dagoberti	
			commissa, Theodebertus post inæstimabilem stragem capitur & occumbit.
617	30	16	Theodericus Rex Francorum moritur. eius filios bello captos Clotarius trucidat. & Childeberti prole extincta solus Monarchia Francorũ potitur, III. à Clodouæo Magno Franciæ Monarcha.
			Brunechildis, ceu multorũ criminum & parricidiorum rea, Clotarii iussu camelo per ludibrium imposita, ac per exercitum circumducta, tandem ab indomitis equis discerpitur.
			Aletheus Burgundus, quod in Clotarii necem conspirasset, Maurolegii pænas luit.
			Clotarius Regnum amplissimum, in Comitatus tributum, variis Regii sanguinis Proceribus administrandum committit.
618	31	17	S. Arnulphus Pipino Maiori Domus à Clotario additur, vt sit iuuentutis Dagoberti moderator.
			Dagobertus Patre perurgente Gomatrudem sibi matrimonio iungit.
			Deusdedit Papæ vita functo, Bonifacius V. succedit. Sedit annos VII. menses X. dies XXV.
619	32	18	Pipinus de Landis instituitur Dux Brabantiæ, & perpetuus Aulæ Regiæ Præfectus.
			S. Romaricus sanctimonia clarus in Cænobio a se in Lotharingiæ finibus, inter Vogesi montana condito, floret.
			S. Gertrudis Romarici filia. I. montis S. Romarici Abbatissa constituitur.
620	33	19	Clotarius Longobardis annuum tributum condonat.
621	34	20	Doda S. Arnulphi Coniunx abdicato sæculo

Treuiris

Anno Christi	Anno Clotarii	Anno Dagoberti	
			Treuiris in Horreo inclusa sanctitate floret.
			S. Arnulphus Aula abdicata Lirinense Cænobium ingreditur.
			Sisebutus Rex Hispaniarum moritur, Ricaredo Filio successore.
			S. Romanus Episcopus Rothomagensis Galliam sanctitate illustrat.
622	35	21	S. Arnulphus, agēte Clotario, è Lirinensi Cœnobio extractus, fit Episcopus Mediomatricum. Sedit annos XV.
623	36	22	Dagobertus, ob Sandregisilum euulsa barba virgisque deformatum, grauem Parentis offensam incurrit.
			Eustathius Luxouiensis, & Attala Bobiensis, Abbates, S. Columbani successores, florent.
			Ricaredo in Hispan. mortuo Suintila succedit & regnat.
624	37	23	Clotarius Dagobertum in Regni consortiū adsciscit. eundem Austrasiis præficit, exclusa Arduenna.
			Pipinum, & Arnulphum Mediomatricū Episcopum Dagoberto adiungit, vt eorum consiliis pareat.
			S. Claudius per Honorium Pont. Max. in Archiepiscopum Bisuntinum confirmatur.
625	38	24	Dagobertus Theolegium Monasterium iuxta S. Wendelinum in honorem S. Mauritii fundat.
626	39	25	Festum exaltationis S. Crucis instituitur.
			Persarum Regnum subactū, indeque ad Sarracenos translatum.
			Bonifacio Papæ V. Honorius I. succedit. Sedit annos XII. menses IV. dies XXVII.

Clo

Anno Christi	Anno Clotarii	Anno Dagoberti	Epitome
627	40	26	Clotarius è Galliis mittit Legatos ad Heracliū Imp. qui ei de victoria Persica & bello confecto gratulentur.
628	41	27	Dagobertus, ita rogante S. Arbogasto, ciuitatē Herlißheim donat Cænobio Schuterano in Alsatia.
			Clotarius Sigebertum cognomento Exulem, Ducem Alemaniæ s. Transiuranū instituit, adempto Regis titulo. Ab hoc, Comites Haspurgenses, & Serenissima Domus Austriaca.
			S. Rictrudis, B. Amandi consilio, Marchianense Cœnobium in Belgica fundat & dotat; S. Ionato D. Amandi discipulo, primo eiusdem Abbate constituto.
629	42	28	Dagobertus Saxones bello appetit, cui Clotarius succurens, Bertoaldo Saxonum Rege interempto, cruentam victoriam reportat.
			Clotarius Dagoberto totius Regni Austrasiani fasces consignat.
			S. Gallus impensis & autoritate Dagoberti Regis SanGallensem Cellam inchoat.
			Anastasius II. Abbas Mauri Monasterii in Alsatia vita fungitur, Godefrido successore.
630	43	29	Dagobertus SanDionysianam Ædem Lutetiæ Parisiorum construit, & auro contegit.
			Idem Spirensem Episcopatum pæne collapsū instaurat, S. Athanasio I. post reparationem Episcopo instituto.
			S. Bauo in cella Gandauensi sanctissimè moritur, à S. Amando ibidem tumulatus.
			Mahomet impurus vixit.

Clo-

ANNO Christi	Clotarij	Dagoberti ætatis	
631	44	30	Clotarius II. Dagoberti Parens moritur. Indictione IV. Honorij Papæ anno VI. Heraclij Imp. XXII. Monarchiæ XIV. Sepultus Lutetiæ Pariſiorum ad latus meridionale Templi S. Germani Pratenſis ex aduerſo Chilperici Patris.
		Regni 1	DAGOBERTVS Clotario Parenti in Regno ſuccedit, tamdiu fortunatus, quamdiu conſilijs SS. Pipini & Arnulphi paruit.
			Idem Ariberto Fratri Aquitaniam Pyrenæis iugis, & Ligeri amne terminatam certis conditionibus cedit.
	Dagoberti ætatis		Siſenando contra Suintilam Hiſpaniarum Regem ſuppetias fert, & regnum obtinet.
632	31	2	Dagobertus Nanthildem è Cænobio raptam inceſtis nuptijs ſibi copulat, Gomatrude peſſimis quorundam conſultis ob ſterilitatem repudiata.
			S. Amandus ob pellicatum Dagoberti acrius reprehēſum in exilium pellitur. interea Gandauenſes ad fidem conuertit.
			Dagobertus Slauos idololatras debellat.
633	32	3	Dagobertus Conſtantienſem Epiſcopatum certis finibus circumſcribit, & locupletat. S. Liuinus Epiſcopus in Brabantia martyrio coronatur. Toletanum Concilium IV. LXVI. Præſulum frequentia celebratum. quo decernitur, ne poſthac Iudæi ad Baptiſmum ſuſcipiendum cogantur.
634	33	4	Aribertus Dagoberti frater Vaſcones domat. Dagobertus firmiſſimæ pacis fœdus cum Gri-

Anno Christi	Dagoberti ætatis	Regni	Epitome
			moaldo Longobardorum Rege init.
			S. Oſwaldus Northumbriæ Rex fidem Chriſti in Anglia propagat.
			Sarraceni Perſidem & Ægyptum occupant.
635	34	5	Dagobertus Pictauos euertit, quod Vaſconibus rebellibus ſuppetias tuliſſent.
			Vaſcones ſubigit.
			Æga cum Pipino Maior Domus Dagoberti aulam illuſtrat.
636	35	6	S. Arnulphus Metenſem Præſulatum S. Goërico reſignans, ſe in Vogeſi Eremum abdit.
			Dagobertus Gundebaldum Ducem ob fidelem operam ſibi contra Vaſcones nauatam in locum Pipini Maiorem Domus conſtituit.
			SanDionyſianum Lutetiæ Templũ plurimis donis amplificat.
			Abdicatis pellicibus, & mortua Gomatrude, Ragnetrudem ſibi legitimo thoro iungit. Ex ea Sigebertum ſuſcipit.
			S. Amandum è Belgica Aurelianum euocat, vbi Sigebertum XL. dierum infantem baptiſmo luſtrat, reſpondentem, Amen.
			S. Amandum Traiectenſibus Antiſtitem præficit. qui Romam profectus facta ſibi per Summum Pont. poteſtate, regioque Dagoberti Diplomate firmatus, Belgas & potiſſimum ſuperſtites Gandauenſes Chriſto lucratur, vnde Gandauenſium Apoſtolus dictus.
			Dagobertus Wormatienſem Epiſcopatum reſtaurat, & comitatu Laudenburgenſi dotat.
			S. Eligius Nouiomenſium Præſul ope Dagoberti Regis Solemniacũ Monaſterium exſtruit.

vbi

Anno Christi	Dagoberti ætatis	Regni	
			vbi S. Remaclus ex Aquitania veniens se Christi tyrocinio addicit.
			S. Dado s. Audoënus Dagoberti Regis Referendarius floret. eiusdem fauore construit Resbacense Cænobium, cui S. Agylum I. Abbatem præfecit.
637	36	7	S. Amandus ex Vrbe redux diuini Verbi officio instat, posthabito Traiectensi Præsulatu.
			Idem à Dagoberto pręficitur Episcopatui Argentoratensi.
			S. Landoaldus Amando subrogatus floret Elnonę. inibi S. Lambertũ Apri viri Illustris F. sanctis moribus informat.
			Sisenandus Rex Hispan. moritur, successore fratre, Suintilla id nominis II.
			Concilium Toletanum VI. quo sancitur, neminem in regno tolerandum, qui non sit Catholicus.
638	37	8	Dagobertus Turonenses sibi rebelles domat, & subuersa ciuitate salem ei superseminat.
			Sicharius pro eodem legatione fungitur ad Samonem Slauorum Regem.
			Sub hæc tempora Dagobertus Cænobiũ Sebusianum, & alia per Alsatiã fundat, dotatque.
639	38	9	Dagobertus Episcopatum Argentoratensem instituit, eique S. Amandum I. Antistitem dedit.
			S. Arnulphus è Maiore Domus Episcopus Mediomatricum, ex Episcopo Anachoreta Vosaginus, sanctissimè moritur, relicto Ansegiso F. paternarum opum hærede. Sepultus Metis in Basilica S. Ioannis.
			S. Clodulphus eiusdem Arnulphi Filius parẽtis sanctimoniam æmulatur.

ANNO Christi	ANNO Dagoberti ætatis	ANNO Dagoberti Regni	*Epitome*
			Aribertus Dagoberti frater vita fungitur nono anno ab obitu Clotarii Parentis, relicto infante Chilperico; quo mox extincto, summa rerum in Aquitania redit ad Dagobertum.
			Honorius Papa I. moritur. Seuerinus succedit. Sedit menses XI.
640	39	10	Dagobertus Sigebertum maiorem natu Filiũ Austrasiis Regem mittit sub tutela Pipini & Cuniberti, cum ipse ab hoc tempore potissimum sedem in Neustria figeret.
			Ansegisum Arnulphi Fil. Brabantiæ Ducatu donat.
			Seuerino Pont. Max. Ioannes IV. succedit. Sedit annum I. menses IX. dies VI.
641	40	11	Dagobertus Saxonibus contra Vinidos acriter pugnantibus annuũ vectigal quinquaginta boum remittit.
			Sigebertus eius Filius varia per Austrasiam Monasteria partim à fundamentis exstruit, partim à Parente inchoata perficit. in his præcipua fuère Malmundariẽse & Stabulense in Arduenna. S. Quintini proximè Mediomatrices, Surburgense prope Hagenoam.
			Rothildis Dagoberti Filia cum Lyderico Bucano Principe Saltuario Arduennæ matrimonium init.
			S. Pipinus Maior Domus morte obita vt cælitum vnus colitur.
642	41	12	Dagobertus Vascones iterum rebelles, subactosque, SS. Eligio & Audoëno deprecatoribus in gratiam recipit.
			Iudicaildis Rex Britanniæ Dagoberti fidem & gratiam sibi conciliat.

Ioanni

Anno Christi	Anno Dagoberti Aetatis	Anno Dagoberti Regni	Chronographica.
			Ioanni IV. Pont. Max. succedit Theodorus Græcus. Sedit annos VII. menses V. dies XX.
			Dagobertus Mæmiliano Sant Maximini prope Treuiros Abbati fundationem pro centum Cænobitis alendis confirmat.
643	42	13	
644	43	14	Sisenandus implorata Dagoberti ope fit Rex Visigothorum, pulso Sumtilla.
			Dagobertus X. Kal. Maias accersitis Regni Proceribus ac Præsulibus Testamentum ab se conditum commendat. & vtrique Filio Sigeberto Austrasiam, Clodouæo II. Neustriam consignat, sub Æganis Maioris Domus, & Nanthildis Reginæ Matris tutela.
645	44	15	DAGOBERTVS Rex XIV. Kal. Febr. Spineti, vico Parisino, propter Sequanam diarrhoea laborans moritur. Indictione III. Theodori Pont. Max. anno IV. Constantis Imp. IV. tumulum accepit in Æde ab se condita S. Dionysii, ad dextrum eiusdem Diui Martyris latus.
			Successit in Regnum Francorum Clodouæus II. minor natu. regnauit Annos XVII. in Austrasianum, Sigebertus. XII. Cænobiorum Fundator.

F I N I S.

Aliquot in priore parte Libri Errata typica ſic corrigito.

Pag.	Lin.	Error.	Correctio.
5.	vltima.	Translapi.	Tranſalp.
6.	21.	Νέμετζοι.	Νέμετοι.
11.	20.	ſtreye.	Freye.
12.	18.	φράγγοι.	φράγκοι.
27.	26.	ditionie.	Ditionis.
28.	5.	Archiducis.	Archiducibus.
29.	22.	ſuccenturiar,	ſuccenturiati,
29.	31.	Hierarchiam	Hierarchicam,
32.	11.	doteſtatis.	poteſtatis.
33.	23.	parchartis.	panchartis.
33.	31.	edioſiſſimis.	editiſſimis.
34.	13.	dignoſceientur.	dignoſcerentur.
39.	2.	Imitibus.	limitibus.
39.	13.	Clodildis.	Clotildis.
40.	28.	D C.	DX.
41.	15.	magna.	magnæ.
41.	30.	Clodildis.	Clotildis.
51.	21.	earum.	carum.
54.	8.	cxplorata.	explorata.
54.	9.	ad laborante.	adlaborante.
58.	24.	Moneſterium.	Monaſterium
60.	19.	docatione.	dotatione.
62.	4.	iu.	in.
65.	9.	ſuppey.	ſupplex.
70.	3.	quæ.	quo.
70.	12.	feciunt.	faciunt.
71.	3.	quendem.	quendam.
71.	22.	& &.	&
77.	19.	regie.	regio.
80.	14.	Hemannum.	Hermannum.
83.	7.	dinino.	diuino.
85.	26.	veteri.	vereri.
85.	34.	Offono.	Offone.
98.	29.	excludebantur.	excludebant.
102.	27.	caluuioue.	colluuione. &c.